1721

Fl.	xr.
36	30
237	14
98	16
6	–

... ich schuldig worden

...valier 164 Reichs. welche ...

... in 6 Jahr zu ...

... [illegible] ...

... [illegible] ...

48. aus [illegible]

Facit 54 Reichs.

... Gott Lob gedenckt ...

fl. 12. gr., Georg ...

fl. 8 gr. 6 Pf., Michael ...

fl. 2. gr., Peter bin...

und er noch geben ...

fl.	gr.	Pf.
4	8	6
3	6	—
8	2	—
12	12	—
27	28	

... fl. ...

MILES
CHRISTIANUS,

Selectissimis Pietatis

ERGA

.Trinitatem, DEI Providen-
am, S. Spiritum, JESU Nomen,
Crucem, Eucharistiam,

ERGA

mmaculatè Conceptã B. V. M

ERGA

Michaëlem, & Angelos Custodes,
aliosque Divos, nec non
Societatis IESU Tutelares.

XERCITIIS,

à quodam Heroe,

NSTRUCTUS

nno Triumphantis Domini Exercituum
M DCC XXI.

POSNANIÆ,
Typis Clari Collegii Societatis JEsu.

(*************************)

APPROBATIO.

LIbellum cui Titulus MILES CHRISTIANUS, Selectissimis Pietatis Exercitiis Instructus, Legi, trutinavi, & maturè consideravi; cum verò nihil contineat quod sit contrarium S. Fidei Catholicæ, sed laboriosè ac devotè conscriptus, Typis mandandum censeo & facultatem tribuo. Posnaniæ ad Cathedram Die 18. Januarii, Anno 1721.

FRANCISCUS KAZNOWSKI,
Archidiaconus Psceversis, Judex Surrogatus Posnaniensis.

(* *)

Ex quot diebus constet unusquisque Mensis.

TRiginta Aprilis, Junius, Septemque, Novemque;
Uno plus alii: viginti Februus octo.
At si Bissextus fuerit, superadditus unus,
Et tunc bis sexto Marti conscribe Kalendas.

De numero Nonarum, ac Iduum singulorum Mensium.

SEx Nonas Majus, October, Julius, & Mars.
Quatuor at reliqui, dabitIdus quilibet octo
Et notandum, primo quoque die mensis dicendum Kalendis, quinto, Nonis, decimotertio, Idibus, ubi Nonæ quatuor: ubi vero sex, septimo, Nonis: decimoquinto, Idibus, in casu sexto. Reliquis autem diebus, pridie, tertio, quarto Kalendas, aut Nonas, aut Idus, in casu quarto, retrorsum numerando usque ad eum diem quo aut Kalendis, aut Nonis, aut Idibus dicimus, quod apud probatissimos quosque licet intueri.

Quando inchoatur Adventus Domini.

ADventus Domini inchoatur Dominica proximiori festo S. Andreæ, vel ipsa die S. Andreæ, si in Dominica venerit.

Qua:

Quatuor Tempora.

QUatuor Tempora celebrantur quarta & ſexta Feria, ac Sabbato poſt tertiam Dominicam Adventus, poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, poſt Dominicam Pentecoſtes, poſt Feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis.



TA-

TABULA TEMPORARIA.

Anni Dni	Literæ Dom.	Septuagesimæ.	Dies Cinerum.	Pascha.
1721	e	9 Febr.	26 Febr.	13 April.
1722	d	1 Febr.	18 Febr.	5 April.
1723	c	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
1724	b A	13 Febr.	1 Mart.	16 April.
1725	g	28 Jan.	14 Febr.	1 April.
1726	f	17 Febr.	6 Mart.	21 April.
1727	e	9 Febr.	26 Febr.	13 April.
1728	d c	25 Jan.	11 Febr.	28 Mart.
1729	b	13 Febr.	2 Mart.	17 April.
1730	A	5 Febr.	22 Febr.	9 April.
1731	g	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.
1732	f e	10 Febr.	27 Febr.	13 April.
1733	d	1 Eebr.	18 Febr.	5 April.
1734	c	21 Febr.	10 Mart.	25 April.
1735	b	6 Febr.	23 Febr.	10 April.
1736	A g	29 Jan.	15 Febr.	1 April.
1737	f	17 Febr.	6 Mart.	21 April.
1738	e	2 Febr.	19 Febr.	6 April.
1739	d	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.
1740	c b	14 Febr.	2 Mart.	17 April.
1741	A	20 Jan.	15 Febr.	2 April.
1742	g	21 Jan.	7 Febr.	25 Marc.
1743	f	10 Febr.	17 Febr.	14 April.
1744	c d	2 Febr.	19 Febr.	3 April.

FE-

FESTORUM
MOBILIUM.

Ascensio.	Pentecostes.	Corpus Christi.	Dominica Adventus.
22 Maii.	1 Junii.	12 Junii.	30 Novemb.
14 Maii.	24 Maii.	4 Junii.	29 Novemb.
6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	28 Novemb.
25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	3 Decemb.
10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	2 Decemb.
30 Maii.	9 Junii.	20 Junii	1 Decemb.
22 Maii.	1 Junii.	12 Junii.	30 Novemb.
6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	28 Novemb.
26 Maii.	5 Junii.	16 Junii.	27 Novemb.
18 Maii.	28 Maii.	8 Junii.	3 Decemb.
3 Maii.	13 Maii.	24 Maii.	2 Decemb.
22 Maii.	1 Junii.	12 Junii.	30 Novemb.
4 Maii.	24 Maii.	4 Junii.	29 Novemb.
3 Junii.	13 Junii.	24 Junii.	28 Novemb.
19 Maii.	29 Maii.	9 Junii.	27 Novemb.
10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	2 Decemb.
30 Maii.	9 Junii.	20 Junii.	1 Decemb.
15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	30 Novemb.
7 Maii.	17 Maii.	28 Maii.	29 Novemb.
26 Maii.	5 Junii.	16 Junii.	27 Novemb.
21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	3 Decemb.
3 Maii.	13 Junii.	24 Maii.	2 Decemb.
23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	1 Decemb.
14 Maii.	24 Maii.	4 Junii.	29 Novemb.

JANUA-

JANUARIUS
Habet dies XXXI.

A 1 *Circumcisio Domini.*
b 2 Macarii Abb. Conf.
c 3 Genovefæ Virg.
d 4 Titi Episc. Conf.
e 5 Simonis Stylitæ Conf.
f 6 *Epiphania Domini.*
g 7 Nicetæ Episc. Conf.
A 8 Laurentii Justiniani.
b 9 Marcianæ Virg. & M.
c 10 Agathonis Papæ.
d 11 Palæmonis Abb.
e 12 Arcadii Mart.
f 13 Godefridi Conf.
g 14 Macrinæ Aviæ S. Basilii.
A 15 Pauli 1. Erem Joan: Calib. C.
b 16 Marcelli Papæ M.
c 17 Antonii Abb. Conf.
d 18 Cathedra S. Petri Romæ.
e 19 Canuti Regis Mart.
f 20 Fabiani & Sebastiani Mart.
g 21 *Agnetis V. M.* *Sol in Aquario.*

A 22

A 22 Vincentii Mart.
b 23 Joann. Eleemos. Ep. Conf.
c 24 Timothei Episc. Mart.
d 25 Conversio S. Pauli Apost.
e 26 Policarpi Episc. & M.
f 27 Joannis Chrysost. Ep. C. D.
g 28 Jacobi Pænitentiarii.
A 29 Francisci Salesii Episc. C.
b 30 Aldegundis V.
c 31 Petri de Nolasco Conf.

FEBRUARIUS

Habet dies XXVIII.

d 1 Ignatii Episc. Mart.
e 2 *Purificatio B. V. M.*
f 3 Blasii Episc & Mart.
g 4 Andreæ Corsini Ep. & Conf.
A 5 Agathæ V. M Joannis Jacobi & Pauli Mart. S. J.
b 6 Dorotheæ V. & M.
c 7 Romualdi Conf.
d 8 Joannis de Matha.
e 9 Apolloniæ V. & M.
f 10 Scholasticæ V.
g 11 Lucii Ep. & M:
A 12 Eulaliæ V. & M.

b 13 Fuscæ V. & M.
c 14 Valentini Presb. & Mart.
d 15 Faustini & Jovitæ Mart.
e 16 Onesimi Mart.
f 17 Juliani Mart.
g 18 Simeonis Episc. & Mart.
A 19 Conradi Placentini Conf.
b 20 Eleutherii Ep. C. *sol in pisc.*
c 21 Felicis Ep. Conf.
d 22 Cathedra S. Petri Antiochiæ.
e 23 Romanæ Virg. *Vigilia.*
f 24 *Mathiæ Apost.*
g 25 Torarii Patriar. & Conf.
A 26 Nestori Episc. Mart.
b 27 Leandri Episc. Mart.
c 28 Romani Abb. Conf.

In Anno Bissextili Februarius est dierum 28. & Festum S. Mathiæ celebratur 25 Februarii, & bis dicuntur Sexto Kalend. *id est & 24. & litera Dominicalis, quæ assumpta fuit in Mense Januario, mutatur in præcedentem, ut si in Januario litera Dominicalis fuit A. mutatur in præcedentem, quæ est* C. *&c. & litera f. bis. servit. 24. 25.*

MAR-

MARTIUS

Habet dies XXXI.

d 1 Swiberti Episcopi Conf.
e 2 Ceaddæ Episc. Conf.
f 3 Cunegundis Virg.
g 4 *Casimiri Conf. P.R.P. & M.D.L.*
A 5 Adriani Mart.
b 6 Joannis Dei Conf.
c 7 Thomæ Aqu. C & Eccl. Doct.
d 8 Philemonis Mart.
e 9 Franciscæ Vid Rom.
f 10 Victoris Mart.
g 11 Eulogii Presb, M.
A 12 Gregorii Papæ C. Eccl. D.
b 13 Nicefori Ep. Conf.
c 14 Methildis Reg. Vid.
d 15 Longini Militis M.
e 16 Heriberti Ep. Conf.
f 17 Patritii Ep. Conf.
g 18 Eduardi Ang. Reg.
A 19 *Josephi Sponsi B. V. M.*
b 20 Joachimi B. V. M. Parentis.
c 21 Benedicti Abb. *sol in Ariete.*
d 22 Catharinæ Svec. Virg.
e 23 Othonis Conf.

f 24 Gabrielis Arch. Simonis M.
g 25 *Annuntiatio B. V. M.*
A 26 Ludgeri Ep. Conf.
b 27 Ruperti Ep. Conf.
c 28 Alexandri Mart.
d 29 Euſtachii Abb. Conf.
e 30 Reguli Ep. Conf.
f 31 Balbinæ Virg.

A P R I L I S

Habet dies XXX.

g 1 Hugonis Epiſc. Conf.
A 2 Franciſci de Paula Conf.
b 3 Joſephi Pöëtæ Conf.
c 4 Hermani Joſeph Conf.
d 5 Vincentii Ferrerii Conf.
e 6 Vilhelmi Conf.
f 7 Aphraatæ Anachoretæ Conf.
g 8 Dioniſii Conf.
A 9 Mariæ Ægyptiacæ.
b 10 Macarii Epiſc. & Conf.
c 11 Leonis Papæ Conf. & Doct.
d 12 Alferi Conf.
e 13 Hermenegildi M.
f 14 Ludvinæ Virg.
g 15 Anaſtaſiæ Mart.

A 16 Lamberti M.
b 17 Aniceti Papæ M.
c 18 Eleutherii Ep. M.
d 19 Werneri Mart.
e 20 Agnetis Politianæ V.
f 21 Anselmi Ep. M. *Sol in Tauro.*
g 22 Theodori Ep. & Conf.
A 23 *Adalberti Archiep. M.*
b 24 Georgii Mart.
c 25 Marci Evang.
d 26 Basilii Ep. M.
e 27 Anthimi Ep. & Conf.
f 28 Vitalis M.
g 29 Petri M. O. P.
A 30 Catharinæ Sen. V.

M A J U S

Habet dies XXXI.

b 1 *Philippi & Jacobi Apost.*
c 2 Athanasii Ep. Conf.
d 3 *Inventio S. Crucis.*
e 4 Floriani M. Monicæ Vid.
f 5 Angeli Carmelitæ.
g 6 Joannis Damasceni.
A 7 Quadrati M.

b 8 *Stanislai Ep. Mart.*
c 9 Gregorii Nazian. Ep. Conf.
d 10 Job Regis Nicolai Erem.
e 11 Mamerti Ep. Conf.
f 12 Nerei M. Epiphanii Ep.
g 13 Hilarii Conf. Joannis Ep.
A 14 Bonifacii M. Pachomii Conf.
b 15 Dympnæ Vir. & M.
c 16 Ubaldi Ep. Conf.
d 17 Torpedis M.
e 18 Erici Reg. M.
f 19 Petri Cæleſt. Pap. C.
g 20 Bernardini Sen. C.
A 21 Hoſpitii Conf.
b 22 Baſilici Mil. M. *ſol in Gemin.*
c 23 Deſiderii Ep. M.
d 24 Suſannæ Marcianæ, &c. M.
e 25 Magdalenæ de Paz: V.
f 26 Philippi Nerei C.
g 27 Bedæ Presb. Joannis P.
A 28 Germani Ep. C.
b 29 Theodoſiæ Vid. M.
c 30 Felicis Papæ M.
d 31 Petronellæ V.

JUNI-

J U N I U S
Habet dies XXX.

e 1 Simeonis Erem. Conf.
f 2 Erasmi Ep. Conf.
g 3 Clotildis Reg. Vid.
A 4 Quirini Ep. M.
b 5 Bonifacii Arch. M. Germ. Ap.
c 6 Norberti Ep. Conf.
d 7 Roberti I. Abb. Ord. Cist.
e 8 Medardi Ep. Conf.
f 9 Primi & Feliciani MM.
g 10 Margaritæ Reg. Vid.
A 11 Barnabæ Apost.
b 12 Onufrii Er. C.
c 13 Antonii Ord. Min. S. Franc.
d 14 Basilii Conf. & Doct.
e 15 Viti & Modesti MM.
f 16 Ludgardis Virg.
g 17 Reinerii Conf.
A 18 Marci & Marcelliani MM.
b 19 Gervasii & Protasii MM.
c 20 Sylverii Papæ Mart.
d 21 Aloysii S J. Conf. *sol in Canc.*
e 22 Paulini Ep. Conf.
f 23 Agrippinæ Virg. & M.

g 24

g 24 *Nativ. S. Joannis Bapt.*
A 25 Gallicani Mart.
b 26 Joannis & Pauli MM.
c 27 Ladiſſai Reg. Ung. Conf.
d 28 Leonis Papæ C. *Vigilia.*
e 29 *Petri & Pauli Apoſt.*
f 30 Erentrudis V. Abbatiſſæ.

J U L I U S
Habet dies XXXI.

g 1 Romualdi Ep. M.
A 2 *Viſitatio B. M. V.*
b 3 Heliodori Ep. Conf.
c 4 Udalrici Ep. Conf.
d 5 Numeriani Ep. Conf.
e 6 Iſaiæ Proph. Mechtildis V.
f 7 Willibaldi Ep. Conf.
g 8 Kiliani Ep. M.
A 9 Cyrilli Ep. M.
b 10 Felicitatis Vid. M.
c 11 Pii Papæ M.
d 12 Gualberti Abb. C.
e 13 Anacleti Papæ M.
f 14 Bonaventuræ C. & Doct.
g 15 Diviſio Apoſtolorum.

A 16

A 16 Fausti Mart.
b 17 Alexii Conf.
c 18 Friderici Ep. M.
d 19 Arsenii Erem. C.
e 20 *Margaritæ Virg & M.*
f 21 Praxedis V. *sol in Leone.*
g 22 *Mariæ Magdalenæ.*
A 23 Apollinaris Ep. M.
b 24 Christinæ V. M. *Vigilia.*
c 25 *Jacobi Apost.* Christophori M.
d 26 *Annæ Matris B V.* MARIÆ.
e 27 Pantaleonis M.
f 28 Nazarii & Celsi M.
g 29 Marthæ Virg.
A 30 Abdon & Sennen M.
b 31 Ignatii Conf Fund. S J.

AUGUSTUS.

Habet dies XXXI.

c 1 Petri ad Vincula.
d 2 Theodotæ M.
e 3 Inventio S. Stephani Prot.
f 4 Dominici Conf.
g 5 B. V. M. ad Nives.
A 6 Transfiguratio Domini.
b 7 Cajetani C. Fund. Theat.

e 8 Cyriaci Did. M.
d 9 Romani M. *Vigilia.*
e 10 *Laurentii Diac. M.*
f 11 Susannæ Virg M.
g 12 Claræ Virg Fundatricis.
A 13 Hippoliti M.
b 14 Eusebii Presb. C. *Vigilia.*
c 15 *Assumptio B. V. MARIÆ.*
d 16 Hyacinthi C. Rochi C.
e 17 Claræ de Monte Falcone V.
f 18 Helenæ Imperat. V.
g 19 Julii Mart.
A 20 Bernardi Ab. Stephani R. C.
b 21 Ciriacæ Vid. M. *sol in Virg.*
c 22 Timothei Ep. M.
d 23 Philippi Bennitii. *Vigilia,*
e 24 *Bartholomæi Apost.*
f 25 Ludovici Reg. C.
g 26 Zephyrini Papæ M.
A 27 Margaritæ Vid.
b 28 Augustini Ep. C. Eccl. Doct.
c 29 Decollatio S. Joannis Bapt. Sabinæ V M.
d 30 Raymundi Nonnati Conf.
e 31 Albani Ep. Dominici Inf. M.

S E

S E P T E M B E R

Habet dies XXX.

f 1 Ægidi Abb.
g 2 Maximæ M.
A 3 Serapiæ V. M.
b 4 Moysis Proph. Rosaliæ V.
c 5 Eudoxii M. Victorini M
d 6 Zachariæ Proph. Eleutherii
Conf.
e 7 Reginæ V.
f 8 *Nativitas B. V. MARIÆ.*
g 9 Gorgonii M.
A 10 Nicolai Tolentini Conf.
b 11 Prothi & Hyacinthi M.
c 12 Leontii M. Gvidonis Conf.
d 13 Mauritii M.
e 14 *Exaltatio S. Crucis.*
f 15 Aichardi C. Meletinæ M.
g 16 Edithæ V.
A 17 Impressio Stigm. S. Francisci
Hildegardis Virg.
b 18 Thomæ de Villanova E. C.
c 19 Januarii M.
d 20 Eustachii Mart. *Vigilia.*
e 21 *Matthæi Apost.*

f 22 Mauritii Legi Theb Duc. M.
Sol in Libra.
g 23 Lini Papæ M.
A 24 Gerardi Ep: M.
b 25 Cleophæ M.
c 26 Cypriani M.
d 27 Cosmæ & Damiani MM.
e 28 Wenceslai Reg. M
f 29 *Dedicatio S. Michaëlis Arch.*
g 30 Hieronymi Presb. C. Eccl. D.

O C T O B E R

Habet Dies XXXI.

A 1 Remigii Ep. M.
b 2 Leodegarii Ep. M.
c 3 Fausti M.
d 4 *Francisci Conf.*
e 5 Placidi M.
f 6 Brunonis Conf.
g 7 Marci Papæ Conf.
A 8 Brigittæ Vid.
b 9 Dionisii Ep. M.
c 10 Francisci Borgiæ C. S. J.
d 11 Tharatii M.
e 12 Maximiliani Ep. M.
f 13 Eduardi Reg. Ang. C.

g 14

g 14 Calisti Papæ M.
A 15 Theressiæ Virg.
b 16 Saturnini M.
c 17 Heronis Ep. M.
d 18 Lucæ Evang.
e 19 Petri de Alcant. Conf.
f 20 Irenæ Virg. M. *Sol in Scorp.*
g 21 Ursulæ Virg. M.
A 22 Cordulæ V. & M.
b 23 Severini Ep. Conf.
c 24 Felicis Ep. M.
d 25 Chrisanthi Ep. M.
e 26 Demetrii M.
f 27 Sabinæ M. *Vigilia.*
g 28 *Simonis & Judæ Apost.*
A 29 Narcissi Ep. M.
b 30 Marcelli M.
c 31 Wolfgangi Ep. Conf. *Vigil.*

N O V E M B E R

Habet Dies XXX.

d 1 *Festum Omnium Sanctorum.*
e 2 Commemor. Fid. Defunct.
Eustasiæ Virg. M.
f 3 Malachiæ Ep. Conf.

g 4 Caroli Borromæi Card. C.
A 5 Emerici Ducis Conf.
b 6 Leonardi Conf.
c 7 Fugelberti Archiep. M.
d 8 Coronatorum 4. MM.
e 9 Theodori Mil. M.
f 10 Juſti Ep. Conf.
g 11 *Martini Ep. Conf.*
A 12 Martini Papæ M.
b 13 Stanislai Koſtka S. J. Patron. R. P. & M. D. L.
c 14 Serapionis M.
d 15 Leopoldi Marchionis C.
e 16 Edmundi Ep. C.
f 17 Gregorii Ep. C.
g 18 Maximi Ep. Conf.
A 19 Eliſabethæ Vid.
b 20 Benigni Ep. C. *ſol in Sagit*
c 21 Præſentatio B. V. M. Columbani C. Abb.
d 22 Cæciliæ V. & M.
e 23 Clementis Papæ M.
f 24 Chryſogoni M.
g 25 *Catharinæ V. M.*
A 26 Petri Ep. Mart.

b 27

b 27 Facundi Mil. M.
c 28 Rufi M
d 29 Saturnini Ep. M. *Vigiliæ.*
e 30 *Andreæ Apost.*

D E C E M B E R

Habet dies XXXI.

f 1 Eligii Ep. Conf.
g 2 Bibianæ Virg. M, Chrysologi Conf.
A 3 Francisci Xaverii Ind Ap. S. J.
b 4 Barbaræ Virg & Mart.
c 5 Sabæ Abb. Conf.
d 6 *Nicolai Episc. Conf.*
e 7 Ambrosii Ep. Eccl. Doct.
f 8 *Conceptio B V. MARIÆ.*
g 9 Leocadiæ Virg. & M.
A 10 Eulaliæ V. & M.
b 11 Damasi Papæ Conf.
c 12 Sinesii Mart.
d 13 Luciæ Virg. Mart.
e 14 Nicasii Ep Mart.
f 15 Valeriani Ep Conf.
g 16 Adelairdis Imperatr. Vid.
A 17 Lazari Ep Conf.
b 18 Gratiani Ep. Conf.

c 19 Nemesii Ep. Mart.
d 20 Eugenii Presb. M. *Vigilia.*
e 21 *Thomæ Apost.*
f 22 Zenonis *Mil. M. Sol in Capr.*
g 23 Victoriæ Virg. M.
A 24 Irminæ Filiæ Reg. V. *Vigilia.*
b 25 *Nativitas D. N. J. C.*
c 26 *Stephani Protomart.*
d 27 *Joannis Apost. & Evang.*
e 28 *Innocentium MM.*
f 29 Thomæ Ep. Cantuar. M.
g 30 David Regis Proph.
A 31 Sylvestri Papæ Conf.

EXER-

EXERCITIUM
Erga Sanctissimam
TRINITATEM.

FORMULA
Professionis Fidei, quæ à Sodalibus, dum Sodalitati incorporantur & aliàs dici solet.

EGo N. firma Fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo Fidei quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum

DEUM Patrem omnipotentem, factorem Cæli & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum JESUM Christum Filium DEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula DEUM de DEO, Lumen de Lumine, DEUM verum, de Deo vero: Genitum, non factũ. Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem, descendit de Cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine. Et Homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est, cum gloria judicare vivos &

mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum S. Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas: Et unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, aliaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam un-

quam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque, septem esse verè & propriè Sacramenta novæ Legis à JESU Christo Domino nostro instituta, atq; ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis, necessaria. Scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium: illaq; gratiam conferre, ac ex eis, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio iterari non posse. Receptos quoque: & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supra dictorum omnium Sacramentorum solenni administratione, recipio, & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione, in SS.

Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium. In Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, una cum anima & divinitate Domini nostri JESU Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie, totum, atq; integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter, & Sanctos, unà cum Christo regnantes, veneran-

dos, atque invocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissimè assero Imagines Christi, ac DEIparæ semper Virginis, necnon aliorum SS. habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac reverentiam impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; usum Chtistiano populo maximè salutarem esse affirmo, Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis, Successori, ac JESU Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia, à Sacris Canonibus,

& Oe-

& Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter accipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque Hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anatematizatas; ego pariter damno, rejicio, & anatematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti, spontè profiteor, & veraciter teneo eandem integram, & inviolatam usq; ad extremum vitæ spatium constantissimè DEO adjuvante, retinere & confiteri, atque à meis subditis, vel iis, quorum cura ad me, in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit, curaturum.

Positis duobus digitis manûs dextræ simul junctis super initialia verba Evangelii S. Ioannis dicit:

Ego idem N. Spondeo, voveo, ac juro, sic me DEUS adjuvet, & hoc Sanctũ DEI Evangelium.

(* *)

ACTUS
Pro tempore matutino.

Manè evigilans cave, nè actuum & cogitationum primitias alius habeat, quam DEUS. Quare statim cogita de DEO, & Dic.

DEUS, DEUS meus ad te de luce vigilo. In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor

tor meus. Et Spiritus Sancti gratia illuminet sensus & corda nostra, Amen.

Deinde signa te Signo S. Crucis & adde,

PEr Signum S. Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. In Nomine Domini JESU Christi surgo, ille me benedicat, regat, custodiat, & ad vitam perducat æternam. Benedicta sit Sancta & Individua Trinitas nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum, Amen.

LAudate Dominum omnes gentes,
Laudate eum omnes populi.
Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

MARIA Mater gratiæ, Ma-

ter misericordiæ, Tu nos ab hoste protege. & hora mortis suscipe.

MARIA Virgo Virginum, deposce nobis omnium, Remissionem criminum, Tuum placando Filium.

Per tuum Virgo Filium. Per Patrem & Paracletum, adsis ad nostrum obitum & ad felicem exitum.

O Domina mea S. MARIA, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam & in sinum misericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo. Omnem spem & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo ut per tuam Sanctissimam intercessionem, & per tuá merita, o-

mnia

mnia mea dirigantur & disponantur opera, secundùm tuam tuiq; Filii voluntatem, Amen.

ANgele DEI, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, instrue, custodi, rege & guberna, Amen.

Post hæc præstabit quinq; comprehensa, hoc versu:

Lauda, Offer, Memora,
Supplex, Propone, Satisfac,
LAUDA DEUM.

Gratias agendo pro omnibus beneficiis, potissimum pro illius noctis custodia sic v. g.

ADoro te Superbenedicta Trinitas & gloriosa Unitas, Pater, Fili, & Spiritus S. Unus Deus laudo te & amo te, propter infinitam bonitatem tuam, tibique gratias ago pro universis benefi-

ciis tuis, omnibus diebus vitæ meæ potissimum verò hac nocte mihi concessis.

OFFER DEO te, tuaq; omnia sic:

ECce ô gloriosa Trinitas ego N. hanc diem aggredior, & in ea offero me totum in odorem suavitatis. Offero animam meam, cum omnibus viribus meis, offero cor meum, ut tibi semper serviat, te amet, & revereatur, offero voluntatem meam, fac de me quod placet. Dignare Domine DEUS meus hanc oblationē acceptare, & ne relinquas me in me, ut sim totus in te, Amen.

Actiones tuas sic offer sæpè.

O Bone JESU, omnes & singulas hujus diei actiones, ex intimo amore tui, offero tibi ad majorem laudem & gloriam Nominis tui, & gloriosissimæ hu-

mani-

manitatis tuæ, offero ad laudem Beatissimæ Matris tuæ, offero & in honorem S. Michaelis Archangeli, Angeli Custodis, SS. Omnium, & præcipuè Patronorum & S. Patroni mei N. hoc mense mihi concessi. Cedant omnia opera mea ad salutem animæ meæ, securum vitæ statum, ac felicem mortem obtinendam. A tua demũ JESU immensa bonitate per sanguinem pretiosissimum tuum peto suppliciter, ut ad obsequium tibi in omnibus operibus meis exhibendum, gratiam mihi uberem largiaris, Amen.

MEMORA, *Revoca tibi in mentem defectus, ad quos te magis propensum in examine hesterno & aliàs observasti.*

SUPPLEX PROPONE, *Seriam in omnibus peccatis; quæ in te obser-*

servasti, emendationem, cum ardentissima Divinæ opis imploratione, v. g. sic:

SI quidquam, ô mi DEUS cogitavero, dixero, fecero per imprudentiam, quod Divino beneplacito tuo repugnet coram te Domine, totaq; curia cælesti protestor, id, præter, & contra voluntatem meam fieri, si aliter accidat, miserere mei Domine, & errantem illico revoca, cadentem subleva, & nè id contingat per bonitatem tuam rogo te misericordissime Deus, ut benedictione tuâ me prævenire, & tanquam rem tuam possidere, & regere digneris, Unicè velim mi DEUS, quod tu vis, & ego unicè nolim. Hæc mea unica sit voluntas, voluntatis tuæ beneplacitum quærere & facere in omnibus.

Si quid Domine à te petam nè largiaris petenti, quod honori tuo deroget, quod tuæ voluntati repugnet, ſcio o bonitas, ſcio id ſolum mihi obeſſe, quod tibi non placet. Ergo te per Sacratiſſimæ Virginis MARIÆ merita, Angelorum: & SS. tuorum interceſſionem oro, da mihi odium mei, & tui in omnibus amorem.

SATISFAC Obligationibus, votiſq; tuis & (ſi Sodalis ſis,) legi Congregationis 8. dicendo ter Pater noſter, & Ave Maria, ac Symbolum Apoſtolorum cum Salve Regina recitando.

PIA SUI COMMENDATIO.

O Benigniſſima Mater, & ſingularis advocata, S. Angele Cuſtos, & omnes SS. commendo me vobis hodie, & omnia iſtius diei exercitia, cogitationes,

verba

verba, & opera adjuvate, custodite, auxilia, & bona necessaria impetrate à vitio N. (in quod maximè propensus sum) & omni peccato præservate, atq; in hora mortis mihi assistite. Amen,

PIA ALIORUM COMMENDATIO.

BEnignissime Deus, commendo tibi Ecclesiam Catholicã. Regnum hoc, ac locum, commendo fideles omnes, vivos atq; defunctos, præsertim meos consanguineos, affines, amicos benefactores, & alios pro quibus orare teneor, & in particulari N. pro quo tuam semper supplex deprecor majestatem.

DIgnare Domine die isto sinè peccato nos custodire, miserere nostri Domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua Do-

mine

mine super nos. Quemadmodum speravimus in te. Domine exaudi orationem meam, Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

Domine Deus Omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tuâ nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Dominum nostrum JESUM Christum &c.

Dirigere & sanctificare, regere & gubernare dignare Domine Deus, Rex cæli & terræ, hodie corda & corpora nostra, sensus, sermones, & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic, & in æter-

num

num, te auxiliante, ſalvi, & liberi eſſe mereamur, Salvator mundi: qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

SAncta MARIA, & omnes SS. intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari, & ſalvari; Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, A.

Cum manè, meridie & Veſperi ſignũ datur pro Salutatione Angelica.

ANgelus Domini nuntiavit MARIÆ, & concepit de Spiritu S *Ave Maria &c.*

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum, *Ave Maria.* Et Verbum Carofactum eſt & habitavit: *Ave Maria, &c.*

ORATIO.

GRatiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde, ut qui Angelo nuntiante

Chri-

Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum &c.

In egressu Domûs signa te, & dic:

DEduc me Domine in via tua, lætetur cor meum, ut timeat Nomen tuum. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia.

In ingressu Cæmeterii.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

In ingressu Ecclesiæ dic:

Domine in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad Templum Sanctum

ctum tuum, & confitebor Nomini tuo.

In aspersione Aquæ Benedictæ.

Asperges me Domine hyssopo & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.

In adoratione Vener: Sacramenti.

Adoro te, amo te, & benedico tibi Domine JESU Christe, quia per Sanguinem tuum redemisti me.

Ave verum Corpus, natum ex Maria Virgine, verè passum immolatum in Cruce pro homine, cujus latus perforatum undâ fluxit & sanguine, esto nobis prægustatum mortis in examine. O clemens, ô pie, ô JESU Fili Mariæ miserere nostri. Amen.

Oratio ante Studia.

CReator ineffabilis qui de thesauris sapientiæ tuæ, tres Ange-

Angelorum Hierarchias annotasti, & eas supra Cælum Empyreum miro ordine collocasti, atq; elegantissimè per partes universi distribuisti. Tu inquam, qui verus fons luminis & sapientiæ, atq; supereminens principium diceris: infundere digneris supra intellectus mei tenebras, tuæ radium claritatis; duplices, in quibus natus sum, à me removens tenebras peccatum scilicet & ignorantiam. Qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem loquendi gratiam copiosam: ingressum instruas, progressum dirigas egressum compleas. Per Christũ Dominum &c.

Oratio ante Studia ad B. Virginem.

O Sedes sapientiæ Beatissima Virgo MARIA! ô Tabernaculum Spiritûs Sancti! ô Liber septem signaculis S. Spiritûs obsignate, scripte intus & foris, Divini amoris penicillo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI reconditi. O Dulcissima Sponsa Spiritus Sancti fac quæso per Immaculatam Conceptionem tuam, ut linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Impetra mihi intelligendi facilitatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam, Amen.

EXERCITIUM
SPIRITUALE
Ab omni Fideli Christiano ad minimum semel de die attentè dicendum.

ADoro Te Sanctissima Trinitas Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: tres Personæ; unus & solus DEUS.

Deiicio me in abyssum mei nihili in conspectu Divinæ Majestatis tuæ.

Credo firmissimè, paratus mille vitas profundere, in contestationem omnium eorum, quæ nobis in sacra Scriptura revelasti, & per veram Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in Te colloco, & quidquid possum habere boni, sive spiritualis sive cor-

corporalis & in hac, & in altera vita id totum desidero: spero & volo solum consequi de tua manu DEUS meus, vita mea, & unica spes mea.

Consigno Tibi hodie, & in perpetuum, corpus & animam meam omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos.

Protestor me non consentire, neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem quæ fiat vel cum minima offensa Tuæ Divinæ Majestatis.

Propono firmissimè, impendere omne esse meum, facultates ac vires meas ad servitium & gloriam tuam.

Paratus sum suscipere, quascunque adversitates mihi Paterna tua manus immiserit, ad dan-

dum

dum gustum beatissimo cordi tuo.

Vellem me totum, quantus, quantus sum impendere, & procurare, ut ab omnibus Tibi serviatur, atque omnes homines, Te glorificent & ament Deum Creatorem suum.

Gaudeo summè de Tua æterna felicitate, & exulto de Tua tam magna gloria, in cælo & in terra.

Gratias tibi ago infinitas, pro innumeris beneficiis, quæ mihi & toti mundo collata sunt, & in dies incessanter à benignissima tua providentia conferuntur.

Amo Tuam infinitam bonitatem propter seipsam ex toto affectu cordis & animæ meæ, & vellem si possem, amare eo amore, quo te amant omnes Angeli & homines justi, cum quorum amo-

re conjungo imperfectissimum amorem meum.

Offero Divinæ Majestati Tuæ in unione meritorum Passionis, vitæ & mortis Christi, & omnium Sanctorum; ex nunc pro semper omnia opera mea, pretiosissimo sanguine JESU Redemptoris nostri lota & involuta.

Statuo omnino participem me facere, quantum possibile est, indulgentiarum per actiones hujus diei, & illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum, offerre in pænitentiam & satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, cum tu sis infinitè dignus omni amore & servitio; siquidem tu es qui es; doleo quantum possum maximè, de omnibus

meis

meis peccatis, illaque detestor, supra omnia alia mala, & peto humillimè veniam, facioq; firmissimum propositum, nunquam offendendi tuam bonitatem in æternum.

In tua vulnera me projicio ô JESU ibi me abscon de, & defende hodie & semper, donec mihi largiaris gratiam videndi tui, & amandi te in æternum, Amen.

Actus intentionis manè usurpandus.

MUnificentissime DEUS cujus beneficentiæ parem ut referam gratiam; si me millies intra horam dedero, non invenio: nihilominus remanēs infinitis modis tibi obstrictus, offero Divinæ Majestati tuæ, ad laudem & gloriam Sanctissimi Nominis tui, in honorem Sanctissimæ Virginis MARIÆ, in memoriam N. in

gratiarum actionem pro innumeris beneficiis tuis, in satisfactionem pro peccatis meis, ac gratiam tuam impetrandam, tum ut juvem animas tam in peccato, quàm in purgatorio existentes, omnia & singula, quæ hodie cogitaturus, dicturus, facturus, & te permittente passurus sum, quæ tum pro tua bonitate infinita, tum mortis vitæ & passionis Domini nostri JESU Christi: Sacratissimæ Matris ejus, & Beatorum Sanctorum tuorum, totiusque Ecclesiæ tuæ meritis, in odorem svavitatis admittere digneris.

Humilis SS. Trinitatis Adoratio.

O Sancta & indivisa Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus S. te toto, animo corporeq; prostratus adoro, ac veneror, confiteorque te esse Deum unum verum prin-

cipium

cipium, finemq; meum, ut & rerum omnium, à quo universa procedunt. Adoro te etiam ac veneror, ô Verbum Incarnatum JESU Christe, Fili DEI Unigenite, & confiteor te esse verum Deum & hominem, Redemptorem meum, tibique me ipsum offero ad mortem oppetendam, & sanguinem profundendum, pro tali confessione & veritate.

OFFICIUM
De SS. TRINITATE.

Benedicta sit Sancta & Individua Trinitas, nunc & semper, & per infinita sæcula sæculorum, Amen.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit &c.
Deus in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.
Tempore Pasch: additur Alleluia *à Septuagesima ad Pascha*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMMUS.

JAm sol recedit igneus,
Tu lux perennis Unitas,
Nostris Beata Trinitas,
Infunde lumen cordibus.

Antiph: Benedicta sit S. creatrix & gubernatrix omnium, S. & individua Trinitas, nunc & semper & per infinita sæcula sæculorũ, A.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum S. Spiritu.

℟. Laudemus & super exaltemus eum in sæcula.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ

Tri-

Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare Unitatem, quæſumus ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Dominum noſtrum &c.
Domine exaudi orationem meã.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino,
Deo gratias.
Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.
Sic terminantur omnes Horæ.
AD PRIMAM.
Benedicta ſit S. & individua Trinitas nunc & ſemper &c.
Deus in adjutorium &c. *ut ſupra.*
HYMNUS.
ORtus refulget Lucifer
Petitque ſolem nuntius.
Cedunt tenebræ noctium
Lux ſancta nos illuminet.

Antiph: Gratias tibi Deitas, Sancta & una Unitas.

Versus & reliqua ut supra.

AD TERTIAM.

Benedicta &c. Deus in adjutorium &c. Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SUmmæ Parens clementiæ
Mundi qui regis fabricam,
Unius & substantiæ,
Trinusque Personis Deus.

Antiph: Te invocamus, te laudamus, te adoramus, spes nostra, honor noster, libera nos, vivifica nos ô Beata Trinitas.

Versus & reliqua ut supra.

AD SEXTAM.

Benedicta &c. Deus in &c.

HYMNUS.

DA dexteram surgentibus,
Exurgat ut mens sobria,
Flagrans & in laudem DEI,
Grates rependat debitas.

Antiphona. Charitas Pater est, gratia Filius, communicatio Spiritus S. ô Beata Trinitas.

Versus & reliqua ut supra.

AD NONAM.

Benedicta &c. *ut ad Primam.*

HYMNUS.

TU Trinitatis Unitas,
Orbem potenter quæ regis,
Attende laudis canticum,
Quod excubantes psallimus.

Antiph: Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna, ô Beata Trinitas, & benedictum Nomen gloriæ tuæ, sanctum, laudabile, & superexaltatum in sæcula.

Versus & reliqua ut supra.

AD VESPERAS.

Benedicta &c. *ut ad Primam,*

HYMNUS.

TE mane laudum carmine,

Te deprecamur vespere,
Digneris ut te supplices,
Laudemus inter cælites.

Antiph: Te Deum Patrem in genitum, te Filium unigenitum, te Spiritum S. Paracletum, S. & individuam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus: tibi gloria in sæcula.

Versus & reliqua ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Benedicta sit Sancta &c.
Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

GLoria tibi Trinitas,
Æqualis una Deitas,

Et

Et ante omnia sæcula,
Et nunc & in perpetuum.

Antiph: Gloria Patri, qui creavit nos, gloria Filio, qui redemit nos, gloria Spiritui S. qui sanctificavit nos, gloria Summæ & individuæ Trinitati Deo nostro, in sæcula sæculorum.

Versus & reliqua ut supra.

COMMENDATIO.

HAs Horas Canonicas cum devotione,
Dixi Sancta Trinitas piâ ratione,
Sis mihi præsidium mortis in agone
Ut te laudem jugiter cæli regione.

Gratiarum actio ad SS. TRINITATEM pro beneficiis.

HYMNUS.

TE Deum laudamus, Te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi Cæli & universæ potestates.

Tibi Cherubim & Seraphim, incessabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt Cæli & terra Majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum Chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum Sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ Majestatis.

Venerandum tuum verum & unicum Filium.

Sanctum quoque Paracletum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe,

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna Cælorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis, in gloria munerari.

Salvum fac populum tuum Domine.

Et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos uſq; in æternum.
Per ſingulos dies benedicimus te,
Et laudamus nomen tuum in ſæculum & in ſæculum ſæculi.
Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire.
Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quẽadmodum ſperavimus in te, in te Domine ſperavi non confundar in æternum.
℣. Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum.
℟. Et laudabilis, & glorioſus in ſæcula.
℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum S. Spiritu.
℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Be-

℣. Benedictus es Domine in firmamento Cæli,

℟. Et laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

Domine exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare Unitatem, quæsumus ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

Deus cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non de-

ſerens, ad præmia futura diſponas.
Per Dominum noſtrum &c.
Domine exaudi &c.
Et clamor meus &c.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Et fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace, Amen.

SUPPLEX HYMNUS *Ad* SS. TRINITATEM.

1. O TRINITATIS Unitas!
O Unitatis TRINITAS!
Tu cor petis cor accipe,
Eique quodvis præcipe.
2. O una ſemper TRINITAS!
O trina ſemper Unitas!

Ter

Ter optimi ter maximum
Amoris ô mysterium!

3. Ignis, Deus ter optime!
Amor, Deus, ter maxime!
Amore me ter Optimo
Exure, teque Maximo!

4. Da mi Deus, Te diligam!
Te diligam me corrigam!
Me corrigendo, diligar!
Te diligendo corrigar.

5. Fac mi Deus Te fac amem,
Amoris illam da famem.
Ut esurire Te sciam,
Mundi famem fastidiam.

6. Te credo, spero, diligo,
Amoris escam colligo
Per cuncta quæ considero,
Ubi meum cor offero,

7. Ubique te solum volo,
Amoris alis evolo,
Ut apta ligna conferam,
Et hæc in ignem congeram.

8. Fons optimæ dulcedinis,
Abyssus altitudinis!
Volo cor ad Te pandere,
Et semper ad Te scandere.
9. Hic, hic habetur Optimum,
Hic omne quod pulcherrimum.
In luce claritudinis,
In fonte pulchritudinis.
10. Ah quidquid est amabile,
Et quidquid æstimabile,
A Te venit, per Te placet.
Te prædicet, licet tacet!
11. Fac, ut timens Te, diligam,
Et exequi non negligam
Quod optimum putavero,
Tibique gratum scivero.
12. Cor hoc, benignus aspice:
Amore semper auspice
Ut inchoet quod inchoat,
Et inchoata finiat.
13. Doce, doce me cernere
Quid sit semel Te perdere

Qui peccat, heu ! mortaliter !
Peribit immortaliter!
14. Quod ſvadet hic tentatio,
Diſſvadet hoc damnatio. (ſunt:
Quæ nunc placent momenta,
Tormenta poſt æterna ſunt.
15. Dum me doces timere Te,
Tunc me doces amare Te!
Amor tuus quem ſic docet,
Illi nihil mali nocet.
16. Qui ſic amando te timet,
Securus eſt, nihil timet,
Te qui timendo ſic amat,
Te quærit, optat, æſtimat.
17. Per omne quod Te diligit,
Semperque plus intelligit
Qua granditate magnus es:
Infinitate grandis es:
18. Per omne quod Tu diligis.
Tuæque ſorti deligis:
Fac omnibus te præferam,
Nunquamque jam te deſeram.

16. Ah pænitet quod optimum,
Mihique præſentiſſimum
Offenderim te mi Deus,
Pater meus, Finis meus!
20. Medulla felix optimi!
Idea pulchra maximi.
Quam pulcher es: quam dul-
cis es
Amore quanto dignus es!
21. Imple meum cor lacrymis,
Amore ſed pleniſſimis:
Ah quæſo, ne me deſeras!
Sed me dolore conteras.
22. Flammam fove, quam ſentio
Amoris in ſilentio,
Cor iſtud à te conditum
In Te tene reconditum.
23. Optima ſemper Veritas!
O alta lux! o Sanctitas!
Mirabilis Felicitas,
Amoris o Æternitas,
24. Tu nos tepentes excita,
Cor

Cor dormiens exsuscita,
Nostris malis nos exue,
Tuis bonis nos indue.
5. Quis es Deus? Deus quis es!
ublimis es! profundus es!
Virtus inæstimábilis
Summis modis amabilis!
5. Præsens, potens, Immensus es,
ıtus forisque totus es!
Omne videns immensitas,
Cor terminans Infinitas!
'. Tu summus es potentiâ;
:d non minor clementiâ,
Nec plus potens es perdere,
Quam sis potens ignoscere!
:. Amor cor istud instruat,
alique fontem destruat,
Et arte pænitentiæ
Pandat fluenta gratiæ.

EXERCITIUM SECUNDUM

Erga Divinam Providentiam.

LEGES CONGREGATIONIS PROVIDENTIÆ DIVINÆ.

1. UT constantior sit hujus Congregationis pietas, brevem constituit Sedes Apostolica, & quinque duntaxat dies solennes in annum illi assignavit. Solennitas prima & principalis Dominicâ sextâ post Pentecosten. Secundâ Solennitas, Dominicâ secundâ post Epiphaniam. Tertia Solennitas, Dominicâ quarta Quadragesimæ. Quarta Solennitas,

nitas, Dominicâ Rogationum, Quintâ ſolennitas, Dominicâ quartâ Octobris. Convenit igitur ut ſingulas præfatas ſolennitates unusquiſq; Congregatiſta celebret Confeſſione & Communione Sacramentali atque compareat devotus in Templo Congregationis, (quantum fieri poteſt) in ordine ad obtinendam indulgentiam.

2. Quotidie ſtatis horis adoranda Sanctiſſima Providentia in occurſu calamitatum, cavēdæ nimiæ querelæ, execrationes potiſſimum & maledicta; acquieſcendum potius Sanctiſſimæ Providentiæ.

3. Honoranda & provocanda Providentia DEI frequenti proviſione & curâ indigentium, & exercitio operum miſericordiæ tam animas, quàm corpora con-

cernentium, reflexione semper habitâ ad lucrum indulgentiarum.

4. Pro defunctis Congregationis frequenter orandum, Sacrificia Missæ procuranda, aut devotè audienda, & quotidie recitentur quinque *Pater noster.* & *Ave Maria.* pro defunctis, propter lucrum Indulgentiæ.

5. Frequenter item orandum pro augendo in Congregatistis fervore ad cognoscendam, adorandam, & quam devotissima gratitudine colendam Sanctissimam DEI Providentiam.

INDULGENTIÆ CONGREGATIONIS PROVIDENTIÆ.

1. Die primo ingressûs in congregationem seu inscriptio-

ptionis si verum suorum peccato-
rum dolorem habet, ea confite-
tur, & Sanctissimum Eucharistiæ
Sacramentum sumit; plenariam
consequitur.

II.

QVisque Frater vel Soror in
agone verè de peccatis su-
s dolens, si ea confitetur; quod
si confiteri non possit; saltem de
suis peccatis dolorem habens.
Nomen JESU ore, vel casu quod
are id præstare nequeat, saltèm
corde invocet, similiter plenarias
omnium peccatorum suorum In-
dulgentias consequitur.

III.

QVicunque Frater vel Soror,
in Capella PROVIDENTIÆ
DIVINÆ semel in anno & id sex-
ta Dominica post Pentecosten,
(qui dies titularis hujus Confra-

ternitatis est,) pro Christianorum Principum concordia; Hæresis Extirpatione & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, devotè oraverit plenarias omnium suorum peccatorum Indulgentias consequitur.

IV.

QVicunque Frater vel Soror constitutis quatuor in anno diebus, nempe Sancti Stephani, Lunæ Paschatis, Sanctorum Petri & Pauli, ac Sanctæ Hedvigis die, Capellam DIVINÆ PROVIDENTIÆ visitaverit, ibique ut præfatum est, oraverit; septem annorum & tot quadragenarum Indulgentias obtinet.

V.

QVandocunque hujus Confraternitatis Frater vel Soror in Capella PROVIDENTIÆ Sa-

crum

rum audiet, vel Sororum, Con-
,regationi præsens aderit; quan-
locunque pauperes nocturno ho-
pitio excipiet; Pacem inter ini-
nicos, vel ipsemet, vel per alium
aciet, Funus Fratris, Sororis, vel
ujuscunque comitabitur, ad Pro-
essionem se conferet, Venerabi-
e Sacramentum, sive in Proces-
ione, sive quocunque alio seque-
ur, vel si id exequi non potest;
altem dum Campanâ signum da-
ur; genu flectet & unum Ave Ma-
ia dicet. vel quotiescunque quin-
ue Pater & Ave Maria pro A-
imabus defunctorum Fratrum,
el Sororum persolvet ; aut
uandocunque errantem ad viam
alutis reducet, ignorantes præce-
ta DEI, & quæ illis ad salutem
eccessaria sunt, docebit, verbo:
uandocunque, & qualecunque

devotionis, & charitatis opus e-
xercebit, toties pro quolibet præfa-
to opere sexaginta dierum de sibi
injunctis, seu aliàs quomodolibet
debitis pænitentiis in forma Ec-
clesiæ consueta Indulgentias con-
sequetur.

VI.

Qvicunque Sacerdotum
Sacrum pro mortuo Fratre
vel Sorore, die commemoratio-
nis omnium animarum, & quovis
die, per totam octavam, ac semel
in Septimana, idq́, Feriâ quarta
ad magnum Altare, in Capella
PROVIDENTIÆ DIVINÆ ce-
lebrabit; illa anima ex thesauro
Ecclesiæ plenarias peccatorum
Indulgentias consequitur: ita ut
per merita Christi B. V. MARIÆ
& omnium Sanctorum, è pænis
Purgatorii mox liberetur.

PRO-

PROFESSIO.

EGo N. N. DEO meo uni & Trino propter ejus multifariam hactenus exhibitam PROVIDENTIAM me obligatissimũ profiteor, & recognosco. Patri Creatori: quod in Creatione, suâ Omnipotentiâ me ex nihilo eduxerit, & donis naturæ abundantissimè ditaverit? Filio Salvatori quod sua amarissima Passione me ex inferno exemerit & media ad salutem necessaria mihi misericordissimè suppeditaverit: Spiritui Sancto Sanctificatori, quod me sua bonitate è peccati & ignorantiæ tenebris benignissimè extraxerit, & continuis inspirationibus ac gratiis adjuverit. Idcirco in gratiarum actionem pro tantis perceptis beneficiis me DIVINÆ

PROVIDENTIÆ humillime submitto, hanc adoro & in librum Confraternitatis honori ejus erectæ submissißimè inscribi peto firmiter proponens me regulas, sive obligationem Cōfraternitatis hujus pro posse persoluturum, fiducialiterque sperans quod dum hic inscribor, in libro quoque Electorum me inscribere & æterna benedictione mihi providere dignabitur Deus Omnipotens.

OFFICIUM
PARVUM DE DIVINA PROVIDENTIA.
AD MATUTINUM.

Adoremus Providentiā Altißimi: Nos populus & oves pascuæ ejus.

℣ *Domine labia mea aperies,*

℟. *Et os meum annuntiabit &c.*

℣.

℣. *Deus in adjutorium &c.*
℟. *Domine ad adjuvandum &c.*
℣. *Gloria Patri, & Filio, &c.*
℟. *Sicut erat in principio &c.*

HYMMUS.

ÆTerne Rector ſiderum,
Qui, quiquid eſt, potentiâ
Magnâ creaſti, nec regis
Minore Providentiâ.
Te turba prædicat famens,
Trina die tecum manens,
Quam paſcis auctis panibus,
Rem plurimis ſtupentibus.
Panis deeſt deeſt cibus,
Sed provides Paſtor fidus.
Patrasq; mirabilia,
Satiando multa millia.

ANTIPHONA.

NOlite ſoliciti eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus: ſcit enim Pater veſter Cæleſtis, quid vobis neceſſe ſit. *Math*: 5. ℣.

℣. *Iacta super Dominum curam tu-am & ipse te enutriet.*

℟. *Non dabit in æternum fluctu-tionem Iusto.*

℣. *Domine exaudi orationem &c.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

DEUS cujus Providentia i sui dispositione non fallitu te supplices exoramus: ut noxia cuncta submoveas, & omnia no-bis profutura concedas. Per Do-minum nostrum &c.

AD PRIMAM.

Adoremus &c. *cum reliquis u supra in Matutino.*

HYMNUS.

TU Pastor es famentium,
Tu Dux es exerrantium.
Tu Medicus ægrotantium,
Tu sidus es natantium,
In rebus es spes perditis,
Redemptor in divenditis,

Tu nos juvas in prosperis,
Nec in periclis deseris.
Ditas, egenos, advenas
Foves, pupillos recreas,
Viduas paternè protegis.
Omnes benigne contegis.

ANTIPHONA.

Dominus custodit advenas pupillum & viduã suscipit. *Psal.* 41.

℣. *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum.*

℟. *Et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.*

℣. *Domine exaudi orationem meã,*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

ORATIO.

Deus cujus &c. *ut supra.*

AD TERTIAM.

Adoremus &c, *cum reliquis ut supra in Matutino.*

HYMNUS.

SIti peremptus Ismaël,

Inter leones Daniel,
Junior Tobias itinere,
Joſeph vocat te in carcere,
Sed quid vocare geſtiunt.
Adeſſe quem mox ſentiunt:
Præbes aquam, fauces premis,
Monſtras viam, vinclo eximis,
Ex corde te precantibus
Succurris, adſtas omnibus,
Vis colligari in vinculis,
Optas adeſſe ſingulis.

ANTIPHONA.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum; & glorificabo eum, *Pſal.* 90.

℣. *Prope eſt Dominus invocantibus eum.*

℟. *Omnibus invocantibus eum in veritate.*

℣. *Domine exaudi &c.* ORATIO. Deus cujus &c. *ut ſupra.*

AD

AD SEXTAM.

Adoremus &c. *cum reliquis ut ſupra in Matutino.*

HYMNUS.

O Provida ſapientia!
Sapienſque Providentia.
Tu tangis omne fortiter,
Diſponis omne ſvaviter.
Videmus axis cardinem,
Mariſque certum marginem,
Mundi ſtupemus ordinem,
Rei creatæ imaginem:
Quid tellus, axis æquora,
Mariſque certa littora?
Quid cuncta clamant Entia?
Te mira Providentia.

ANTIPHONA.

Ne dederis cor tuum, ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo: non eſt Providentia. *Eccl.* 5.

℣. *Cæli enarrant gloriam DEI,*

℟. *Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

℣. *Domine exaudi &c.*

ORATIO.

Deus cujus &c. *ut supra.*

AD NONAM.

Adoremus &c. *cum reliquis ut supra in Matutino.*

HYMNUS.

QVodcunque repit in solo,
Quodcunque volitat in Polo
Et quod movetur in æquore,
Te toto adorat pectore,
Te, quotquot auram pervolant,
Aves fatentur, quas tuâ
Nutris sine harum prævio,
Labore, Providentiâ,
Non destruit, non obruit,
Quando halcyon sibi struit
Nidum, unda vel fluctus maris.
Et ille fit curæ paris.

ANTI-

ANTIPHONA.

Respicite volatilia cæli; quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester Cælestis pascit illa. *Matth. 6.*

℣. *Oculi omnium in Te sperant Domine.*

℟. *Et Tu das escam illorum in tempore opportuno.*

℣. *Domine exaudi &c.*

ORATIO.

Deus cujus &c. *ut supra.*

AD VESPERAS.

Adoremus &c. *cum reliquis ut supra in Matutino.*

HYMNUS.

Aurora dum spargit polum,
Ros vestit, ut gemmæ solum
Notam facis DEUS Tuam
Ipsi inde Providentiam,
Per gurgites natantibus.

Tu provides & piſcibus,
Quos paſcis omnes congruo,
Ex axe victu depluo.
Tu motor es moventium,
Tu Spiritus viventium.
Director ordinantium,
Proviſor almus omnium.

ANTIPHONA.

Laudate Dominum, qui dat jumentis eſcam ipſorum & pullis corvorum invocantibus eum.
Pſal. 146.

℣. *Aperis tu Domine manum tuam*
℟. *Et imples omne animal benedictione.*
℣. *Domine exaudi orationem meam*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

ORATIO.

Deus cujus &c. *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

Adoremus Providentiam Altiſſimi; Nos populus, & oves paſcuæ ejus. ℣. *Con-*

℣. *Converte nos DEus ſalutaris noſter.*

℟. *Et averte iram tuam à nobis.*

℣. *DEVS in adjutorium meum intende.*

℟. *Domine ad adjuvadū me feſtina*

℣. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

℟. *Sicut erat in principio & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorū. A*

HYMNVS.

TU, quæ gubernas omnia,
Regiſque Providentia,
Piâcla noſtra dilue,
Virtutis actus inſtrue,
Quod eſt futurum prævidens,
Præſens quod eſt huic providens,
Largire quidquid proſperum,
Et tolle quidquid noxium.
Laus ſit Patri potentiâ,
Laus Filio Sapientiâ,

Laus Pneumati influentiâ,
Orbem regenti in sæcula.

ANTIPHONA.

Omnem solicitudinem vestrã projicite in DEUM quoniam ipsi cura est de vobis, 1. *Pet.* 5.

℣. *Custodi nos Domine ut pupillam oculi.*

℟. *Sub umbra alarum tuarum protege nos.*

℣. *Domine exaudi orationem meam*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

DEUS cujus Providentia in sui dispositione non fallitur te supplices exoramus ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum nostrum &c.

COMMENDATIO.

INter beatos nomina,
Quicunque laudis carmina

Ca-

Canendo PROVIDENTIÆ,
Se devovent DEUS Tuæ, Am.

Litaniæ de Sanctissima DEI PROVIDENTIA:

Ex locis Sacræ Scripturæ excerptæ.

KYrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater qui omnibus providisti in Creatione. Miserere nobis.

Fili qui omnibus providisti in Redemptione. Miserere nobis.

Spiritus Sancte, qui omnibus providisti in tui missione. M

Sancta Trinitas, à qua, per quam & in qua sunt omnia, Miserere nobis. *Ad Rom: 11.*

DEUS qui tua Providentia quinque millia Virorum, quinque panibus, & duobus pisci- Miserere

piſcibus ſatiaſti. *Ioan.* 6.

DEUS qui tuâ Providentiâ quatuor millia ſeptem panibus, & paucis piſciculis repleviſti. *Mar:* 8.

Qui in Cana Galilææ, tuâ Providentiâ aquam in vinum mutaſti.

Qui Petrum carceri incluſum Tuâ Providentiâ manibus Herodis per Angelum eripuiſti, *Actor:* 11.

Qui Nòé tuâ Providentiâ à communi diluvio præſervaſti. *Gen:* 8.

Qui Loth tuâ Providentiâ de Gomorrhæo, & Sodomitico igne eduxiſti. *Gen:* 9.

Qui ad vocem Iſmàélis ſiti emorientis oculos Agar aperuiſti, & tuâ Providentiâ per Angelum ei aquam indigitaſti. *Gen:* 12.

Miſerere nobis.

Qui

Qui Joſeph à Fratribus venditum tuâ Providentiâ in Ægypto exaltaſti, & per eum toti Ægypto panem providiſti. *Gen:* 45.

Qui Moyſen in Fiſcella ſcirpea occluſum, & aquis impoſitum tuâ Providentiâ conſervaſti. *Exod:* 2.

Qui Iſràëli à Pharaone fugie[illegible] aquas maris tuâ Providentiâ [illegible]ſiccaſti & Equitatum ejus cum curribus ſubmerſiſti. *Exod:* 14.

Qui Iſràëlitis in Marath amaritudinem aquarum tuâ Providentiâ in dulcorem verti[illegible]ſti. *Exod:* 15.

Qui Iſràëlitis tuâ Provid[illegible]tiâ coturnices pluiſti. *Ib[illegible]:* 16.

Qui Iſràëlitis in Raphidim tuâ Providentiâ aquas de petra eduxiſti. *Exod:* 17.

Miſerere nobis.

[illegible]erere nobis.

Q

Qui Samsoni siti enecto è dent molari in maxilla asini aqua tuâ Providentiâ prosilire fecisti. *Jud. 5.*

Qui Saul Patris asinas quærentem tuâ Providentiâ ad Samuelem perduxisti, & in Regem ab eo ungi voluisti. 1. *Reg: 9*

Qui per inermem David tuâ Providentiâ de grandi Goliath triumphantem, opprobrium ex Israël abstulisti. *Ibid: 17.*

Qui Eliam in torrente Carith tuâ Providentiâ per corvos pavisti. 3. *Reg: 17.*

Miserere nobis.

Qui per mulierem Sarephtanam Eliam tuâ Providentiâ sinè diminutione farinæ & ol satiasti. *Ibid: eod:*

Qui Eliæ per Angelum tuâ Providentiâ panem subcinericium misisti. *Ibid: 19.*

Qui per Eliseum viginti Panibus centum viros, ita ut adhuc panis superfuerit tuâ Providentiâ satiasti. *Ibid:* 4.

Qui per Raphàélem juniori Tobiæ tuâ Providentiâ comitatum dedisti, & Patri ejus exenterati piscis felle visum restituisti. *Tob:* 5.

Qui Ananiam, Misàélem, & Azariam in medio ignis illæsos tuâ Providentiâ conservasti. *Dan:* 3.

Miserere nobis.

Qui Danielem in lacu leonum per Habacuc, tuâ Providentiâ ab Angelo eò apportatum pavisti. *Ibid:* 24.

Qui Danielem in lacu leonum à morsibus tuâ Providentiâ intactum præservasti. *Dan:* 6.

Qui innocentiam Susannæ per

Danielem tuâ Prnvidentiâ detexisti. *Dan:* 13.

Qui Jonam de ventre ceti post triduum tuâ Providentiâ eduxisti. *Jonæ* 2.

DEUS à cujus Providentiâ omnia expectant, ut des illis escam in tempore. *Psal.*103.

DEUS in cujus Providentiâ est bonum confidere, quàm confidere in homine. *Psal:* 117.

Miserere nobis.

DEUS in cujus Providentia est bonum sperare quàm sperare in Principibus. *Ibid.*

DEUS cujus Providentia dat escam omni carni. *Psal:* 135.

DEUS in cujus Providentia oculi omnium sperant, & das escam illorum in tempore opportuno. *Psal:* 144.

DEUS qui tuæ Providentiæ ma-

num

num aperis & imples omne animal benedictione. *Ibid: eod.*

DEus qui tuâ Providentiâ advenam, pupillum, & viduam suscipis. *Psal:* 145.

DEus cujus Providentia dat jumentis escam ipsorum & pullis corvorum invocantibus eam. *Psal:* 146.

DEUS apud cujus Providentiam nec unius passeris est oblivio. *Luc:* 12.

DEUS cujus Providentia omnes capitis nostri capillos numeravit. *Ibid:*

Miserere nobis.

DEUS qui tuâ Providentiâ pascis volatilia cæli. *Matth:*

DEUS cujus Providentia vestit lilia agri.

Providus nobis esto, Parce nobis Domine.

Providus nobis esto, Exaudi nos Domine.

Ab oblivione beneficiorum tuo-
rum. Libera nos Domine.
A nimia cura & solicitudine,
A propria nostra voluntate,
Ab inordinata in adversis tristitia
Per admirabilem Incarnato Tu
Filiô, factam mundo Provi-
dentiam, &c.
Per providentissimam panis Eu-
charistici in universo orbe
multiplicationem, &c.
Peccatores, Te rogamus audi
nos.
Nè peccare faciamus os nostrum
neque unquam opere dica-
mus coram Angelo non est
Providentia. *Eccl:*
Ut nos in te curam nostram ja-
ctare concedas, & ipse nos e-
nutrias. *Psal:* 54.
Ut nos primum quærere Re-
gnum tuum & justitiam
con

concedas, & cætera ex tua Providentia nobis adjicias, *Matth: 6.*

It Pontificem nostrum N. Antistitem N. & Imperatorem N. Tuâ Providentiâ regere, & conservare digneris,

It Cultores Tuæ Providentiæ multiplicare digneris,

It nos omnes sub tuam Sanctam & specialem Providentiam suscipere digneris,

Te rogamus audi nos.

Pater cujus Providentia omnia gubernat, Te rogamus.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miserere nobis, &c.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.

℣. Custodi nos Domine ut pu-
pillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum
protege nos.

DEUS cujus Providentia in
sui dispositione non fallitur,
te supplices exoramus ut noxia
cuncta submoveas & omnia no-
bis profutura concedas. Per Do-
minum nostrum. Amen.

ORATIO.

*Pro impetranda nostræ voluntatis
cum Divina Providentia in omnibus
conformitate.*

DEUS qui ad manifestandam
Tuæ Providentiæ gloriam,
Te famenti populo Israëlitico in
Pastorem, Danieli in Defensorem,
Susannæ in Advocatum, Tobiæ in
Ducem, vendito Joseph in Re-
ptorem, tribus Pueris in Conser-
torem, Pupillis, Advenis, & Vi-
duis

uis in Patrem dedisti, & omnia mnibus fieri voluisti. Te hu- illimè deprecamur, ut sicut de ua providentia lætamur in pro- eris, ita exultemus in adversis, & uâ spe â Tua Providentia ex- ectamus desiderata, eâ toleran- â perferamus omnia tibi placita: on extollamur in prosperis, non eiiciamur in adversis. Da nobis Domine animum invictum, cor nmobile, voluntatem in omni- us Tuæ Providentiæ confor- nem. In Te quiescat, & movea- ur cor nostrum, nihil nos turbet uod est à Te, sed omnia sint no- is chara propter Te, Nihil ad- ersum nos moveat, quia affligit ed placidet cor nostrum quia à Te procedit. Agnoscamus hanc eritatem; quod nihil sit parvum, uod à summo Deo datur, nihi

nocivum, quod ab amantiſſi[mo]
Patre, aut injuſtum quod a[b]
æquiſſimo Judice provenit. Tu
enim ſola Domine Providen[tia]
attingit à fine uſque ad finē f[or]
titer, & diſponit omnia ſvavit[er]
& quæcunque nobis immittis,
cet nobis quandoque videa[n]
tur contraria, ſunt tamen in b[o]
num finem ordinata. Quidqu[id]
igitur nobis immittis, da Domin[e]
ut hoc gratè excipiamus, læ[ti]
teneamus, patienter conſervem[us].
Per Dominum noſtrum JEſu[m]
Chriſtum, Amen.

Oratio à Confratre ægroto dicend[a].

SUpreme animarum corpor[um]
què Medice, inexhauribi[lis]
fons vitæ & luminis, Tu qui u[no]
etiam verbo mortuos reſuſcita[re]
potes, Magne DEUS, in cu[jus]
manu ſunt hominum ſortes,

Pro-

rovidentia omnia gubernat &
ofque cujus permissione nihil
reaturis Tuis evenire potest. Ad
e duplici morbo: animæ, cor-
orisque languidus exclamo, red-
e mihi sanitatem, & tuam pec-
atis meis amissam gratiam: i-
nosce Domine; quod qui ha-
tenus Creaturis, plus quàm Ti-
i Creatori meo inservivi; tu-
m tremendam implorare audeā
Majestatem; scio quidem quod
non sim dignus aspicere cœlum,
ui hucusque tantum terram in-
uitus fui, at non me latet, quod
tiamsi justus & omnipotens es
mirabilior tamen crederis in o-
beribus pietatis; dixisti enim
er Prophetam: *Miserationes*
uas (a) *super omnia opera tua*
esse: Miserere igitur mei secundùm
magnam misericordiam tuam &
redde mihi, tam animæ quàm

Corporis sanitatem. Quodsi DEUS mi! hæc petitio mea nimia tibi videatur. Pro tua gloria, meaque salute hoc corpus meum inutile Terræ pondus ulterius pati expediat, sana saltem animam meam, & da mihi virtutem sufferendi, quidquid Tuæ Providentiæ placuerit mihi evenire. Per Dominum nostrum JEsum Christum. Amen.

(a) *Psal.* 144. *v.* 9.

A. M. D. P. G.

EXERCITIUM TERTIUM.

Erga Sanctum Spiritum OFFICIUM SPIRITUS.

AD MATVTINVM.

Spiritûs S. gratia illuminet sensus & corda nostra. ℟. Amen.
Domine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meū intende
Domine ad adjuvandū me festina.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

HYMNUS.

NObis Sancti Spiritûs gratia sit data.

De qua Virgo Virginum fuit obumbrata.
Cùm per Sanctum Angelum fuit salutata.
Verbum caro factum eſt, Virgo fæcundata.

ANTIPHONA.

Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda Fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

ORATIO.

ADſit nobis quæſumus Domine virtus Spiritus S. quæ & corda noſtra clemẽter expurget, & ab omnibus tueatur adverſis. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritûs Sancti. &c. Am.

E

Et hæc dicũtur post singulos Hymnos.

AD PRIMAM.

Spiritûs S. gratia Illuminet &c.
Deus in adjutoriũ, &c. Gloria &c.

HYMNUS.

DE Maria Virgine Christus fuit natus.
Crucifixus, mortuus, atque tumulatus.
Resurgens, Discipulis fuit demonstratus.
Et ipsis cernentibus in cælos est elevatus.

Antiph. Versus & Oratio ut supra.

AD TERTIAM.

Spiritûs S. gratia, &c. ℟. Amen.
Deus in adjutoriũ &c. Gloria, &c.

HYMNUS.

SUum S. Spiritum Deus delegavit,
In die Pentecostes Apostolos confortavit.

Et de linguis igneis eos inflam-
mavit.
Relinquere orphanos eos dene-
gavit.
Antiph. Versus, & Oratio ut supra.
AD SEXTAM.
Spiritûs S. gratia &c. ℟. Amen.
Deus in adjutoriū &c. Gloria &c.
HYMNUS.
SEptiformem gratiam tunc ac-
ceptaverunt.
Quare idiomata cuncta cogno-
verunt.
Ad diversa climata mundi recess-
serunt;
Et fidem Catholicam tunc præ-
dicaverunt.
Antiph. Versus, & Oratio ut supra.
AD NONAM.
Spiritûs S. gratia, &c. ℟. Amen.
Deus in adjutoriū, &c. Gloria &c.

HYMNUS.

SPiritus Paraclitus fuit appellatus,
Donum Dei, charitas, fons vivificatus.
Spiritualis unctio, ignis inflammatus,
Septiformis gratia, charisma vocatus.

Antiph. &c. ut supra.

AD VESPERAS.

Spiritûs S. gratia &c. ℟. Amen.
Deus in adjutoriũ &c. Gloria &c.

HYMNUS.

DExtræ Dei digitus, virtus Spiritualis.
Nos defendat, eruat, ab omnibus malis.
Ut nobis non noceat dæmon infernalis.
Protegat, & nutriat, foveat sub alis

Antiph. &c. ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Spiritûs S. gratia &c. ℟. Amen.
Cõverte nos Deus ſalutaris noſter
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutoriũ, &c. Gloria &c.

HYMNUS.

SPiritus Paracletus nos velit juvare
Greſſus noſtros regere & illuminare:
Ut cùm Deus venerit omnes judicare,
Nos velit ad dexteram ſuam collocare.

Antiph. &c. ut ſupra.

COMMENDATIO.

HAs Horas canonicas cum devotione,
Tibi Sancte Spiritus piâ ratione,
Dixi, ut nos viſites inſpiratione,
Et vivamus jugiter in cæli regione
Amen.

Pro-

Pro Invocatione Spiritûs Sancti.

VEni S. Spiritus, & emitte cælitus, lucis tuæ radium.

Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.

O Lux Beatiſſima reple cordis intima, tuorum fidelium.

Sine tuo Numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.

Lava quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium.

Flecte quod eſt rigidum, fove quod eſt frigidum, rege quod eſt devium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, ſacrum Septenarium.

Da virtutis meritum, da salut exitum, da perenne gaudium, A

℣. Emitte Spiritum tuum, creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

DEus qui corda fidelium S Spiritûs illustratione docui sti, da nobis in eodem Spiritu re cta sapere, & de ejus semper con solatione gaudere. Per Domi num nostrum &c. in unitate Spi ritûs S. Deus, per omnia sæcul sæculorum. Amen.

Preces initio Congregationis.

VEni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium & tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cun ctarum gentes in unitatem fidei congregasti.

Kyrie

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. *Pater noster, &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationẽ.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Memento Congregationis tuæ.

℟. Quam possedisti ab initio.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

MEntes nostras quæsumus Domine lumine tuæ claritatis illustra, ut videre possimus, quæ agenda sunt, & quæ recta sunt agere valeamus. Per Christum Dominum nostrum.

In fine Congregationis.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. *Pater noster &c.*

℣. Et ne nos &c. ℟. Sed libera &c.

℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

℟. A templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem.

℣. Domine exaudi orationem meam

℟. Et clamor meus ad te veniat

ORATIO.

PRæſta quæſumus Domine auxilium gratiæ tuæ, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus Per Chriſtum Dominum noſtrum,

Retribuere dignare Domine benefactoribus noſtris vivis atq; defunctis vitam æternam, Amen.

Sequens Hymnus dicitur ante electiones & ante admiſſiones ad Sodalitatem.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſupernâ gratiâ,
Quæ tu creaſti pectora.
Qui diceris Paraclitus;

Altiſſi-

Altiſſimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et ſpiritualis unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longiùs,
Pacemq; dones protinus
Ductore ſic te prævio,
Vitemus omne noxium:
Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atq; Filium:
Te utriuſq; Spiritum,
Credamus omni tempore.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio qui à mortuis,
Surrexit, ac Paraclito.

In ſæculorum ſæcula, Amen.
℣. Emitte Spiritum tuum, &c.
℟. Et renovabis faciem terræ.

ORATIO.

ACtiones noſtras quæſumus, Domine aſpirando præveni, & adjuvādo proſequere, ut cūcta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Dominum noſtrum, Amen.

LITANIÆ de SANCTO SPIRITU.

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon Kyrie eleyſon.
Spiritus Sancte à Patre Filioque procedens; Miſerere nobis.
Spiritus Domini DEUS Iſràél,
Dominator hominum,
Replens orbem terrarum.

Habens

Habens omnem virtutem,
Omnia bona operans & omnia
prospiciens.
Ornans cælos stabilis & securus.
Spiritus veritatis omnia sugge-
rens & distribuens.
Spiritus sapientiæ & intellectûs
Spiritus cõsilij, fortitudinis, sci-
entiæ, & pietatis,
Spiritus timoris Domini & pru-
dentiæ,
Spiritus quô inspirante locuti
sunt sancti DEI homines,

Miserere nobis.

Quæ ventura sunt nuntians, Mi-
serere nobis.
Donum & promissio Patris, Mi-
serere nobis,
Spiritus S. Paraclite arguens mun-
dum, Miserere nobis.
Spiritus in quo dæmonia eiiciun-
tur, Miserere nobis.
Spiritus ex quo renascimur, Mi-
serere nobis.

Spiritus per quem charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, Miserere nobis.

Spiritus adoptionis filiorum DEI Miserere nobis.

Spiritus gratiæ & misericordiæ, Miserere nobis.

Spiritus adjuvans infirmitatem nostram, & reddens testimonium spiritui nostro, quod simus filii DEI.

Spiritus svavis, benigne, super mel dulcis,

Spiritus pignus hæreditatis nostræ, deducens nos in terram rectam,

Spiritus principalis, vivificans, & confortans,

Miserere nobis.

Spiritus salutis, judicii, gaudii,

Spiritus fidei, pacis, & ardoris,

Spiri-

Spiritus humilitatis, charitatis & castitatis,
Spiritus benignitatis, bonitatis, longanimitatis, ac mansuetudinis,
Spiritus lenitatis, veritatis, unitatis ac consolationis.
Spiritus compunctionis, promissionis, renovationis ac sanctificationis,
Spiritus vitæ, patientiæ, continentiæ, ac modestiæ,
Spiritus omnium gratiarum,

Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis S. Spiritus.
Propitius esto, Exaudi nos S. Spiritus,
A Spiritu erroris, Libera nos Spiritus DEI vivi.
A Spiritu immundo, Libera nos Spiritus DEI vivi.

A *Spiritu* blaſphemiæ, Libera nos *Spiritus* DEI vivi.

Ab omni obſtinatione, & deſperatione, Libera nos *Spiritus* DEI vivi.

Ab omni præſumptione, veritatis contradictione,

Ab omni malitia & prava conſvetudine,

Ab invidia fraternæ charitatis,

A finali impœnitentia,

Per æternam à Patre & Filio Proceſſionem tuam,

Per inviſibilem unctionẽ tuam,

Per omnem gratiarum plenitudinem, quâ Virginem Mariam ſemper poſſediſti,

Per ſupereffluentem ſanctitatis abyſſum quâ in conceptione Verbi Matrem DEI inundare feciſti;

Libera nos Spiritus DEI vivi.

Per

Per ſanctam in baptiſmo Chriſti apparitionem tuam,

Per ſalutarem ſuper Apoſtolos adventum tuum, Libera nos &c.

Per ineffabilem bonitatem tuam, quâ Eccleſiam gubernas, concilias Præſides: Martyres corroboras: Doctores illuminas: religiones inſtituis.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut in ſpiritu ambulemus, & deſideria carnis non adimpleamus, Te rogamus audi nos.

Ut nunquam contriſtemus, Te:

Ut omnes Eccleſiaſticos Ordines in ſancta religione & vero ſpiritu conſervare digneris, Te:

Ut cuncto populo Chriſtiano cor unum, & animam unam donare digneris, Te rogamus.

Ut Virtutum omnium comple-mentum nobis tribuere digne-ris, Te rogamus audi nos.

Ut nos exaudire digneris, Te rog.

Spiritus DEI, Te rogamus audi nos.

Agnus DEI &c. Effunde in no S. Spiritum.

Agnus DEI, &c. Emitte in no promissum Patris Spiritum.

Agnus DEI &c. Da nobis Spiri-tum bonum.

℣. Spiritus Domini replevit or-bem terrarum.

℟. Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.

ACtiones nostras quæsumu Domine, aspirando præven & adjuvando prosequere, ut cun-cta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te, cæpta finiatur.

Exer-

* *

EXERCITIUM QUARTUM.

In JESUM Crucifixum.

OFFICIUM S. CRUCIS.

AD MATUTINUM.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.
Domine labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit laudem tuam
DEUS in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandũ me festina
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

PAtris Sapientia Veritas Divina

DEUS Homo captus est horâ matutinâ:
A notis discipulis cito derelictus,
A Judæis traditus, venditus, & afflictus.

Antiph: O Crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconiis, quoniam vitam nobis cælestem præparasti.

℣. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi,
℟. Quia per S. Crucem redemisti mundum.

ORATIO.

DOmine JESU Christe Fili DEI vivi, pone Passionem tuam inter judicium tuum & animam meam, nunc & in hora mortis meæ, & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam, vivis & defunctis, requiem & veniam;

Ecclesiæ tuæ pacem & concordiam, nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus S. Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. Deus in adjutorium, &c. Gloria &c

HYMNUS.

Horâ primâ Dominum ducunt ad Pilatum.
Et à falsis testibus multum accusatum.
Colaphis percutiunt manibus ligatum;
Vultum Dei conspuunt lumen cæli gratum.

Antiph: O Crucis victoria, & admirabile signum in cælesti curia, fac nos captare triumphum.

Versus & Oratio ut ad matutinũ.

AD TERTIAM.

Per signum Crucis, &c.
Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

CRucifige clamitant horâ tertiarum,
Illusus induitur veste purpurarum
Caput ejus pungitur corona spinarum.
Crucem portat humeris, ad locum pænarum.

Antiph: Funestæ mortis damnatur supplicium dum Christus in Cruce, nostra destruxit vincula criminum.

Versus & Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

Per signum Crucis, &c.
Deus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYM-

HYMNUS.

HOrâ ſextâ Jeſus eſt Cruci
conclavatus,
Eſt & cum latronibus pendens de-
putatus,
Præ tormentis ſitiens felle ſatu-
ratus,
Agnus crimen diluens ſic ludifi-
catus.

Antiph: Per lignum ſervi facti ſumus, & per S. Crucem liberati ſumus: fructus arboris ſeduxit nos, Filius Dei redemit nos.

Verſus & Oratio ut ſupra.

AD NONAM.

Per ſignum Crucis, &c.
Deus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

HOrâ nonâ Dominus Jeſus
exſpiravit, (mendavit,
Eli clamans, Spiritum Patri com-

Latus ejus lanceâ miles perforavit,
Terra tunc contremuit, & ſol obſcuravit.

ANTIPHONA.

O magnum pietatis opus, mors mortua tunc eſt in ligno, quando mortua vita fuit.

Verſus & Oratio ut ſupra.

AD VESPERAS.

Per ſignum Crucis, &c.
*D*eus in adjutorium, &c. Gloria &c.

HYMNUS.

DE Cruce deponitur horâ Veſpertinâ,
Fortitudo latuit in mente *D*ivina,
Talem mortem ſubijt vitæ medicina,
Heu corona gloriæ jacuit ſupina.

ANTIPHONA.

O Crux benedicta, quæ ſola fuiſti digna portare talentum mūdi, dulce lignum, dulces clavos,

dulcia ferens pondera, ſuper omnia ligna cedrorum, tu ſola excelſior, in qua mundi ſalus pependit, in quâ Chriſtus triumphavit, & mors mortem ſuperavit in æternum.

Verſus & Oratio ut ſupra.

AD COMPLETORIUM.

Per ſignum Crucis, &c.

Cõverte nos Deus ſalutaris noſter

Et averte iram tuam à nobis,

Deus in adjutorium, &c. Gloria.

HYMNUS.

HOrâ Completorii datur ſepulturæ,
Corpus Chriſti nobile, ſpes vitæ futuræ,
Conditur aromate, complentur ſcripturæ:
Jugi ſit memoriæ mors hæc mihi curæ.

ANTIPHONA.

Salvator mundi ſalva nos, qui per Crucem & Sanguinem tuum redemiſti nos, auxiliare nobis te deprecamur DEus noſter.

Verſus & Oratio ut ſupra.

COMMENDATIO.

HAs Horas canonicas cum devotione,
Tibi Chriſte recolo piâ ratione:
Ut qui pro me paſſus es amoris ardore,
Sis mihi ſolatium mortis in agone, Amen.

LITANIÆ
De Paſſione Domini Noſtri JESU CHRISTI.

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.
JESU Chriſte audi nos,
JESU Chriſte exaudi nos,

Pater

Pater de cælis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus S. Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu triginta argenteis appretiate,
miserere nobis,
Jesu ad Discipulorum pedes inclinate, miserere nobis.
Jesu in oratione prostrate.
Jesu in agonia sanguineo sudore perfuse;
Jesu osculo à Juda tradite.
Jesu à ministris ligate,
Jesu à discipulis derelicte,
Jesu Annæ & Caiphæ præsentate
Jesu alapâ à ministro percusse,
Jesu à falsis testibus accusate,
Jesu reus mortis judicate,
Jesu in faciem conspute, oculis velate, colaphis cæse,
Jesu à Petro ter negate,
Jesu vinctus Pilato tradite,

Miserere nobis.

Jeſu ab Herode & ejus exerci-
tu ſprete & illuſe,
Jeſu veſte albâ indute,
Jeſu Barabbæ poſtpoſite,
Jeſu flagellis cæſe,
Jeſu propter ſcelera noſtra at-
trite,
Jeſu veſte purpureâ indute,
Jeſu ſpinis coronate,
Jeſu arundine percuſſe,
Ieſu à Iudæis ad Crucem po-
ſtulate,

Miſerere nobis.

Ieſu morte turpiſſimâ cõdemnate
Ieſu Crucis pondere aggravate,
Ieſu veſtibus exute,
Ieſu clavis in Cruce confixe,
Ieſu cum iniquis reputate,
Ieſu à prætereuntibus blaſphe-
mate,
Ieſu à Iudæis deriſe,
Ieſu à Latrone injurijs laceſſite,
Ieſu opprobrijs ſaturate,

Miſerere nobis.

Jeſu felle & aceto in ſiti potate
Jeſu usq; ad mortem Crucis obediens facte,
Jeſu lanceâ transfixe,
Jeſu de cujus latere exivit ſanguis & aqua,
Jeſu de Cruce depoſite,
Jeſu in monumento novo tumulate,
Jeſu cujus livore ſanati ſumus,
Jeſu pro nobis crucifixe, mortue & ſepulte,

Miſerere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Jeſu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Jeſu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Jeſu Chriſte audi nos,
Jeſu Chriſte exaudi nos,
Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. *Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationē.
℟. Sed libera nos à malo.
Domine exaudi orationem, &c.

ORATIO.

DOmine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui horâ sextâ pro redemptione mundi Crucis patibulum ascendisti, & sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti. Te humiliter deprecamur, ut post obitum nostrum, Paradisi januas nos gaudenter introire concedas, Qui vivis & regnas, &c. Amen.

HOROLOGIUM

Passionis Dominicæ ex Patre Lessio.

AD MATUTINUM.

SAlve hora sacra, in qua Domine JESU Christe fuisti in oratione prostratus, in Patris

tris voluntatem resignatus, immenso peccatorum nostrorum pondere aggravatus, ineffabili tristitia usq; ad mortem afflictus, omnia futura tormenta spiritu perpessus, in agonia sanguineo sudore perfusus, ab Angelo confortatus, obviam hostibus progressus, osculo à Juda traditus, à ministris ligatus, à discipulis derelictus, Annæ & Caiphæ præsentatus, alapâ à ministro percussus, à falsis testibus accusatus, reus mortis judicatus, in faciem conspútus, oculis velatus, colaphis & alapis cæsus, corpus percutientibus, & genas velantibus expositus, multis contumeliis affectus, à Petro ter negatus. Domine JEsu Christe has omnes afflictiones tibi offero, pro his gratias ago, te laudo, & benedico. Per

has omnes rogo miſerere mei, maximè in hora mortis meæ.

SAlve hora ſacra, in qua Domine Jeſu Chriſte fuiſti concilio mane condemnatus, vinctus, Pilato traditus, à Judæis accuſatus, ad omnes eorum accuſationes mirô ſilentiô uſus, ab Herode multa curiosè interrogatus, ab Herode, & ejus exercitu ſpretus & illuſus, veſte albâ indutus, ad Pilatum remiſſus.

Domine Jeſu Chriſte, &c. *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

SAlve hora ſacra, in qua Domine Jeſu Chriſte fuiſti ad flagella condemnatus, veſtibus ſpoliatus: nudus, & ad columnam alligatus flagellis duriſſimè cæſus, propter ſcelera noſtra attritus, doloribus acerbiſſimis cruciatus, toto corpore ſanguine perfuſus, tan-

tanquam vile mancipium tractatus, vestes induere permissus. Iterum vestibus spoliatus, chlamyde coccineâ indutus, spinis coronatus, arundine tanquam sceptro insignitus. Rex Judæorum amaro ludibrio salutatus, in faciem consputus, alapis cæsus, arundine Caput percussus, doloribus & opprobrijs satiatus, hoc schemate foras eductus, populo spectandus exhibitus tanquam leprosus à Deo æstimatus, magnis clamoribus ad Crucē postulatus, Barabbæ postpositus, morte accerbissimâ & ignominiosissimâ cōdemnatus voluntati Judæorum traditus, Crucis pondere gravatus, tanquam ovis ad occisionem ductus.

Domine Jesu Christe, &c. *ut supra*

AD SEXTAM.

SAlve hora sacra in qua Domine

mine Jeſu Chriſte fuiſti tertio ve-
ſtibus exutus, clavis per manus
& pedes Cruci affixus, propter i-
niquitates noſtras vulneratus, to-
to corpore crudeliter diſtractus,
doloribus acerbiſſimis cruciatus,
per Crucem in altum levatus,
Angelis & hominibus mirabile
ſpectaculum factus, quatuor
rivis ubertim ſanguine manans
ad excipiendos peccatores bra-
chia extendens.
Domine Jeſu Chriſte, &c. *ut ſupra.*

AD NONAM.

SAlve hora ſacra, in qua Do-
mine Jeſu Chriſte fuiſti inter
duos Latrones crucifixus, cum i-
niquis reputatus, opprobrium ho-
minum factus, à prætereuntibus
blaſphematus, à Judæis deriſus, à
militibus in Cruce illuſus, à latro-
ne convitio laceſſitus, opprobrijs
ſatu-

ſaturatus, in tantis doloribus, & contumeliis, pro inimicis Patrem deprecatus, Latroni pænitenti Paradiſum pollicitus. Qui Joannem Matri tuæ in Filium tradidiſti, te à Patre derelictum atteſtatus. Felle & aceto in ſiti potatus, conſummata omnia, de te ſcripta, teſtatus. Cujus Spiritus in manus Patris commendatus, à Patre pro tua reverentia ſemper exauditus, uſq; ad mortem Crucis obediens factus, lanceâ transfixus, cujus livore ſanati ſumus, propitiatio nobis factus.

Domine Jeſu Chriſte, &c. *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

SAlve hora ſacra, in qua Domine JEſu Chriſte de Cruce es depoſitus, in ſinu Matris receptus, multis lachrymis defletus Maria cum amicis anguſtiata.

Do-

Domine Jesu Christe. &c. *ut supr.*

AD COMPLETORIUM.

SAlve hora sacra, in qua Domine Jesu Christe de Cruce es depositus à Matre receptus multis lachrymis defletus Maria cum amicis angustiata.

Domine Jesu Christe: &c. *ut supr.*

AD COMPLETORIUM.

SAlve hora sacra, in qua Domine Jesu Christe Sindone es involutus, ad sepulchrum delatus, sepultus. Maria cum amicis luget, Resurrectio exspectatur.

Domine Jesu Christe has omnes afflictiones tibi offero, pro his gratias ago, te laudo & benedico. Per has omnes rogo miserere mei, maximè in hora mortis meæ, Amen.

Planctus Beatæ MARIÆ Virginis.

STabat Mater dolorosa, juxta Cru-

Crucem lachrymosa, dum pendebat Filius.

Cujus animã gementẽ, contristãtẽ & dolentẽ per transivit gladius.

O quam tristis & afflicta, fuit illa benedicta Mater unigeniti.

Quæ mærebat & dolebat: & tremebat cum videbat, nati pænas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret Christi Matrem si videret, in tanto supplicio.

Quis non posset contristari, piã Matrẽ cõtẽplari dolentẽ cũ Filio.

Pro peccatis suæ gentis vidit JESUM in tormentis, & flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum, morientem desolatum, dum emisit Spiritum.

Eja Mater fons amoris; me sentire vim doloris, fac ut tecum lugeam,

Fac ut ardeat cor meum, in amando Chriſtum DEum ut ſibi complaceam.

Sancta Mater iſtud agas, Crucifixi fige plagas, cordi meo validè.

Tui nati vulnerati, tam dignati pro me pati, pœnas mecum divide.

Fac me verè tecum flere, Crucifixo condolere, donec ego vixero.

Juxta Crucem tecum ſtare, te libenter ſociare, in planctu deſidero.

Virgo Virginum præclara, mihi jam non ſis amara, fac me tecum plangere.

Fac ut portem Chriſti mortem Paſſionis fac conſortem, & plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari, Cruce fac inebriari ob amorem Filii.

Fac

Fac me Cruce custodiri, mor-
e Christi præmuniri confoveri
ratiâ.

Quando corpus morietur, fac
t animæ donetur, Paradisi glo-
ia, Amen.

SODALITAS AMATORUM CRUCIFIXI JESU.

*Orta DVACI in Belgio An-
o 1630. Tres Conditiones
tatuit pro participare vo-
lentibus. gratias Sodalitati
huic concessas.*

P*Rima*, Singulis diebus octavo horæ spatio aliquid de Pas-
one Domini meditari.

Secunda, Orare in fine pro o-
nnibus Sodalibus ut illos in ma-
nibus

nibus suis, diu ante descriptos a-gnoscere, & in vulneribus suis ab-scondere æternumque beare di-gnetur.

Tertia Quàm plurimos conari adsciscere ad Sodalitatem. *His Conditionibus servatis quilibet ta-cito pacto admittitur in Societatem & fit illius particeps; in qua pluri-ma hominum per Europam jam cen-sentur millia.*

Sanctissima V. MARIA post As-sumptionem suam apparuit Sancto IOANNI Evangelistæ, & de Pas-sione Christi multum cum eo locu-ta dixit: Filium suum tres gratias concessisse ei, qui Passionem Domi-ni devotè recoleret.

1. Antequam moriatur ferven-tissimæ Contritionis actum de o-mnibus peccatis impetrabit.

2. Talis in agone suo habebit

ipsam

ſam Deiparam præſentem, & pecialiter adjuvantem.

3. Filius Matri tranſcripſit omne is quidlibet pro illo impetrandi. obet *Dom: 2. Quadr:*

Quædam perſona coram S. Lud-ina dicebat : Contenta eſſem, ſi ot Annis in Purgatorio paterer uot grana ſinapis in vaſe ibi præ-nti erant. *Cui Sancta reſpon-it* : Tam parum fidis Divinæ Miſericordiæ & Virtuti Mortis Chriſti, *Poſt mortem apparens di-a Perſona eidem Sanctæ dixit ſe tolerabiles pœnas luere ob modi-am fidem in Miſericordia DEI, & Paſſione Chriſti.*

In Fronte, Ore, Pectore, formans gnum S. Crucis dic.

JEſus Crucifixus ſit ſapientia n Cogitationibus, Verbis, & O-peribus meis.

Hæc

Hæc mea ſublimis Philoſophia ſcire JESUM & hunc Crucifixum *dixit S. Bernardus.*

JESUS Bibliotheca eſt: S. Bonaventura omnem ſapientiam ex hoc fonte hauſit.

Chriſtus S. Gertrudi dixit : Filia qui amanter Crucifixum in vita intuetur, eum amanter Crucifixus in hora mortis reſpicere dignatur. *Eidem dixit* Vide quomodo Crucifixus ſum amore tui, & adhuc te ita amo, ut ſi aliter ſalutem conſequi non poſſes; paratus eſſem omnia tormenta iterum pro te perferre, quæ pro omnibus hominibus ſuſtinui.

Corona ad Vulnera Chriſti.

VUlnera Tua Dulciſſime JESU ſint remedium peccatricis Animæ meæ & incentivum Amoris tui Divini, Amen.

1 O Ma

1. O Manus gratiæ, ſine Te nihil poſſum.

2. O Manus miſericordiæ miſerere mei.

3. O pes potentiæ humilia me, & exalta Te.

4. O Pes juſtitiæ, ne abiicias me quamvis indignus ſim.

5. O Cor ſedes amoris, accende me, ut inceſſabiliter amem Te.

Repetantur ſinguli Actus quinquies ad ſingula quinque Vulnera Chriſti deinde ter pronuntiandum.

O Caput, ſedes ſapientiæ illumina me, ut noſcam Te.

Clauſula Coronæ eadem cum initio.

Vulnera Tua Dulciſſime JESU, &c.

ORATIO.

Ad Vulnera Chriſti.

ROgo te Domine JESU per illa Vulnera tua, quæ paſſus

es in cruce pro salute nostra, è quibus emanavit ille pretiosus, sangvis, quo sumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneo & potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis, confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum, ita, ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimæ fluant lachrymæ die ac nocte: Percute Domine, percute obsecro hanc durissimam mentem meam pia & valida cuspide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

SALUTATIONES.

Ad omnia Membra Christi; & sui ipsius ad eum commendatio.

Salve

SAlve tremendum, cunctis poteſtatibus Caput Domini noſtri JESU Chriſti Salvatoris noſtri, pro nobis ſpinis coronatum & arundine percuſſum: Salve ſpecioſiſſima Salvatoris noſtri JESU Chriſti facies, pro nobis ſputis illita & alapis cæſa. Salvete benigniſſimi Domini JESU Chriſti Salvatoris noſtri oculi pro nobis lachrymis perfuſi. Salve melliſluum os, gutturq́; ſvaviſſimum Domini noſtri JESU Chriſti, pro nobis felle & aceto potatum. Salvete aures nobiliſſimæ Domini JESU Chriſti Salvatoris noſtri, pro nobis contumeliis & opprobriis affectæ. Salve collum humile JESU Chriſti, pro nobis colaphizatum; dorſumq́; ſanctiſſimum pro nobis flagellatum. Salvete venerabiles Domini noſtri

IESU Christi manus & brachia pro nobis in Cruce extensa. Salve pectus mitissimum Domini IESU Christi Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum. Salvé latus gloriosum Domini nostri IEsu Christi, pro nobis lanceâ militis perforatum. Salvete Domini IEsu Christi Salvatoris nostri sacra misericordia genua pro nobis in orationibus flexa. Salvete Domini nostri Pedes adorandi, pro nobis clavis affixi. Salve totum Corpus IESU Christi, pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Salve Sangvis pretiosissime de Corpore Domini IEsu Christi, Salvatoris nostri pro nobis effuse. Salve sanctissima Domini nostri IEsu Christi Anima, in Cruce pro nobis in
manus,

manus Patris commendata. In eadem commendatione tibi commendo hodie, & quotidie animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes ſenſus & actus meos, omnes amicos, benefactores & conſangvineos meos, animas parentum, fratrum, ſororum & omnium amicorum meorum: ut nos protegere, liberare, & defendere digneris ab omnibus inſidiis inimicorum noſtrorum viſibilium & inviſibilium, nunc & in perpetuum, Amen.

Pro felici morte.

SAngvine tuo Domine IEſu â peccatis meis lava me, & præſta ut anima mea, cùm è corpore migraverit, ante tribunal tuum munda appareat, per acerbiſſimam mortem tuam, quam pro me ſuſtinuiſti in Cruce, miſe-

tere peccatrici animæ meæ in suprema illa mortis lucta à qua tota pendet æternitas. O bone JESU, Passionem, Crucem, & Mortem tuam, pone inter judicium tuum, & animam meam, & propitius esto mihi peccatori.

EXERCITIUM QUINTUM.

DE NOMINE JESU.

OFFICIUM PARVUM *De Sanctissimo Nomine* JESU.

AD MATUTINUM.

DOmine labia mea aperies, Et os meum annuntiabit laudem tuam

DEUS in adjutorium meum intende,

Domine ad adjuvandum me festina,

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & sem-

ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

HYMNUS.

JESU dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed ſuper mel & omnia,
Ejus dulcis præſentia.

ORATIO.

DEUS, qui glorioſo ac mirabili Nomine dilectum Filium Tuum JEſum Chriſtum Redemptorem noſtrum appellare voluiſti, concede propitius, ut qui ejuſdem benedicti Salvatoris nomen, celebriter veneramur in terris, ejus felici conſortio perenniter perfruamur in cælis, Amen.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

JEſu

HYMNUS.

JEsu dulcedo cordium,
Fons vivus lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium,

Oratio ut supra.

AD TERTIAM.

DEus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

JEsu mi bone sentiam,
Amoris tui copiam,
Da mihi per præsentiam,
Tuam videre gloriam.

Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

Deus in adjutoriū meum intende
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

JEſu auctor clementiæ,
Totius ſpes lætitiæ,
Dulcoris fons & Gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.

Oratio ut ſupra.

AD NONAM.

Deus in adjutoriū meum intende
Domine ad adjuvandum &c.

HYMNUS.

JEſu decus Angelicum,
In aure dulce canticum;
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.

Oratio ut ſupra.

AD VESPERAS.

Deus in adjutorium meum, &c.
Domine ad adjuvandum. &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

JEſu flos Matris Virginis,
Amor noſtræ dulcedinis,
Tibi laus honor Numinis,

Regnum beatitudinis.

Oratio ut ſupra.

AD COMPLETORIUM.

Cõverte nos Deus ſalutaris noſter
Et averte iram tuam à nobis,
Deus in adjutorium meum, &c.
Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

JEſus in pace imperat,
Quæ omnem ſenſum ſuperat,
Hanc mea mens deſiderat,
Et ea frui properat.

ORATIO.

DEUS, qui glorioſo ac mirabili Nomine dilectum Filium tuum JEſum Chriſtum, Redemptorem noſtrum appellare voluiſti, concede propitius, ut qui ejusdem benedicti Salvatoris Nomen celebriter veneramur in terris, ejus felici conſortio perenniter

niter perfruamur in cælis, Amen.

Commendatio ad JESVM.

DIgnare benignissime JESU per hoc sanctissimum Nomen tuum, esse mihi JESUS, & dare mihi spiritum illum tuum quem qui non habent, non sunt tui. Insere quæso cordi meo hoc amabile Nomen tuum, ut ejus dulcedine pascar, ejusq; amore ita ardeam, ut moriar in te JEsu mi dulcissime, invocato semper hoc jucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero Nomine tuo Jesu, Jesu, Jesu.

LITANIÆ
De Nomine JESV

KYrie eleyson, Christe eleyson
Kyrie eleyson.
Christe audi nos,
Christe exaudi nos,

Pater

Pater de cælis Deus, Miserere no:
Fili Redemptor mundi Deus, Mis:
Spiritus Sancte Deus, Miserere:
Sancta Trinitas unus Deus, Mis:
Jesu Fili Dei vivi,
Jesu potentissime,
Jesu fortissime,
Jesu perfectissime,
Jesu gloriosissime,
Jesu mirifice,
Jesu jucundissime,
Jesu charissime,
Jesu clarior Sole,
Jesu pulchrior Luna,
Jesu splendidior Stellis,
Jesu admirabilis,
Jesu delectabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu pauperrime,
Jesu sapientissime,
Jesu patientissime,

Miserere nobis.

Iesu obedientissime,
Iesu castissime,
Iesu amator castitatis,
Iesu amator pacis,
Iesu amator noster,
Iesu speculum vitæ,
Iesu exemplar virtutum,
Iesu decus morum,
Iesu zelator animarum,
Iesu refugium nostrum,
Iesu Pater pauperum,
Iesu consolator afflictorum,
Iesu thesaurus fidelium,
Iesu gemma pretiosa,
Iesu armarium perfectionis,
Iesu bone Pastor ovium,
Iesu stella maris,
Iesu lux vera,
Iesu sapientia æterna,
Iesu bonitas infinita,
Iesu gaudium Angelorum,
Iesu Rex Patriarcharum,

Miserere nobis.

Iesu

Iesu Inspirator Prophetarum,
Iesu Magister Apostolorum,
Iesu Doctor Evangelistarum,
Iesu Fortitudo Martyrum,
Iesu Lumen Confessorum,
Iesu Sponse Virginum,
Iesu Corona Sanctorum omnium

Miserere nob:

Propitius esto, Parce nobis Iesu.
Propitius esto, Exaudi nos Iesu.
Ab omni malo, libera nos Iesu.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea & improvisa morte
A morte perpetua,
Ab insidiis diaboli,
A peste, fame & bello,
A transgressione mandatorum tuorum,
Ab incursu omnium malorum

Libera nos IEsu.

Per incarnationem tuam,
Per Adventum tuum,
Per Circumcisionem tuam,

Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per Resurrectionem tuam,
Per Ascensionem tuam.
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per Dulcissimam Virginem Matrem tuam.
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum,

Libera nos JEsu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis. Jesu.
Jesu Christe audi nos,
Jesu Christe exaudi nos,
Kyrie eleyson, Christe eleyson,
Kyrie eleyson.

Pater noster &c.

Et ne nos inducas in tentationem
Sed libera nos à malo.
Sit Nomen Domini benedictum,
Ex hoc nunc & uſq; in ſæculum
Non nobis Domine, non nobis,
Sed Nomini tuo da gloriam.
Exurge Domine adjuva nos,
Et libera nos propter Nomen tuũ
Domine exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DEUS, qui glorioſiſſimum Nomen JESU Chriſti Filii tui Domini noſtri, feciſti fidelibus tuis ſummoq; ſvavitatis affectu amabile; & malignis ſpiritibus tremendum atq; terribile, concedepropitius, ut qui hoc Nomen JESU devotè venerantur in terris, ſanctæ Conſolationis dulcedinem inpræſenti percipiant & in futuro gaudium exultationis

& inter

& interminabilis beatitudinis obtineant in cælis. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Amen.

Alia Oratio ad IESVM.

O Bone JESU, ô piissime JEsu, ô dulcissime JEsu, ô JESU Fili MARIÆ Virginis plene misericordiâ & pietate; ô dulcis JEsu, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime JEsu, te deprecor per illum Sanguinem pretiosum, quē pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum & indignum humiliter veniam petentem, & hoc Nomen sanctum JEsu invocantem, O Nomen JEsu, Nomen dulce, Nomen JEsu, Nomen delectabile,

Nomen

Nomen JESU, Nomen confortans. Quid eſt enim JEſus, niſi Salvator. Ergo JEſu propter Nomen ſanctum tuum eſto mihi JEſus & ſalva me, nec permittas me damnari, quem tu de nihilo creaſti. O bone JEſu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua, O benigniſſime JEſu, miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ enim utilitas in ſangvine tuo dum deſcendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine JEſu neq; omnes qui deſcendunt in infernum. O amantiſſime JEſu, ô deſideratiſſime JEſu, ô mitiſſime JEſu, ô JEſu, JEſu, JEſu, admitte me intrare in numerũ Electorũ tuorũ. O Jeſu ſalus in te credẽtiũ. O Jeſu ſola-

ſolatium ad te confugientium O JESU dulcis remiſſio omnium peccatorum. O JESU Fili MARIÆ Virginis, infunde in me gratiam, ſapientiam, charitatem, caſtitatem, humilitatem, ut poſſim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſervire & in te gloriari, & omnes, qui invocant Nomen tuum, quod eſt JESUS, Amen.

Iubilus Sancti Bernardi.

JESU dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia.
Sed ſuper mel & omnia,
Ejus dulcis præſentia.

Nil canitur ſvavius,
Auditur nil jucundius:
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jeſus DEI Filius.

Ieſu ſpes pænitentibus,
Quam pius es petentibus:
Quam bonus te quærentibus,

Sed

Sed quid invenientibus,
Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingva valet dicere,
Nec litera exprimere:
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.
Jesum quæram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo:
Privatim & in publico,
Quæram amore sedulo,
Cum Maria diluculo,
Jesum quæram in tumulo;
Clamore cordis quærulo,
Mente quæram, non oculo;
Tumbam perfundam fletibus
Locum replens gemitibus:
Jesu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
Jesu Rex admirabilis,

Et

Et triumphator nobilis:
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsâ mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.

EXERCITIUM SEXTUM.

De Sanctissima Eucharistia.

ORATIO.

Ante Confessionem.

DOmine JESU Christe animarum nostrarum amator ardentissime, qui præ nimia charitate Tua, non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, doleo ex intimo corde meo, quod te DEum meum atque benignissimum Redemptorem, cui omnia peccata displicent, offenderim, qui me usque adeo dilexisti, ut pro me

servo

ſervo viliſſimo, ſangvinem tuum pretioſum fundere, & mortem acerbiſſimam ſubire dignatus ſis. O bonitas infinita Deus meus, utinam te nunquam offendiſſem, quia infinitè bonus es, & ſuper omnia cordis mei deſiderabilia amabilis; ignoſce bone JESU, miſericordiam petenti. Miſerere peccatoris, pro quo apud Patrem tuum, vox ſangvinis tui interpellat. Ignoſco etiam amore tui, mi ſvaviſſime JESU omnibus, qui me unquam offenderunt, firmiterque ſtatuo, univerſa deinceps peccata fugere, & ea quæ contra immenſam bonitatem tuam commiſi, in amaritudine animæ confiteri, ac te DEus meus, propter temetipſum, ſuper omnia in æternum amare.

ORA-

ORATIO.

Ante Communionem.

O Dulciſſime, atq; amantiſſime Domine, quē nunc devotè deſidero ſuſcipere, tu ſcis infirmitatem meam, & neceſſitatem quam patior, in quantis malis & vitiis jaceo, quam ſæpe ſum gravatus, tentatus, turbatus & inquinatus, pro remedio ad te venio, pro conſolatione, & ſublevamine, Te deprecor. Ad omnia ſcientem loquor, tibi manifeſta ſunt omnia interiora mea, & qui ſolus potes me perfectè cōſolari & adjuvare. Tu ſcis quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper ſum in virtutibus. Ecce ſto ante te pauper & nudus gratiam poſtulans & miſericordiam implorans, Refice eſurientem mendiculum,

accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præſentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia, & contraria in patientiam, omnia infima & creata in contemptum & oblivionem. Erige cor meum ad te, & in cælum, & ne dimittas me vagari ſuper terram. Tu ſolus mihi ex hoc jam dulceſcas usque in ſæculum, quia tu ſolus cibus & potus meus, amor meus, & gaudium meum, dulcedo mea, & totum bonum meum. Utinam me totaliter tua præſentia accendat, comburat, & in te transmutet, ut unus tecum efficiar ſpiritus, per gratiam internæ unionis, & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me jejunum & aridum à te recedere;
ſed

sed operare mecum misericorditer, sicut sæpius operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, si totus in te ignescerem, & in me ipso deficerem, cum Tu sis ignis semper ardens, & nunquam deficiens: amor corda purificans.

SEPTEM PSALMI PÆNITENTIALES.

ANTIPHONA.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neq; vindictam sumas de peccatis nostris.

Psalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valdè: ſed tu Domine uſquequo.

Convertere Domine, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletûs mei.

Exau-

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, & erubescant valde velociter.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 14.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.

In hamo & freno maxillas eo-

rum constringe; qui non approximant ad te :

Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit,

Lætamini in Domino & exultate justi ; & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 37.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum :

& ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum : & curvatus ſum usq; in finem, tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus : & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum : & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei, & proximi mei

adversum me appropinqvaverunt, & steterunt.
Et qui juxta me erant de longè steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.
Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.
Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.
Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.
Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine DEus meus.
Quia dixi: ne quando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Intende in adjutorium meum Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 50.

MIserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum : dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi , & malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis , & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : & in peccatis concepit me mater mea,

Ecce enim veritatem dilexisti : incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo & mundabor: lavabis me & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiã salutaris tui & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sangvinibus Deus, Deus salutis meæ, & exalrabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuã Quoniam si voluisses sacrifici-

um

um dedissem utiq; holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri &c.

Psalmus 101.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ut fænum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me adverſum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declina-

verunt

verunt : & ego sicut fænum arui.
Tu autem Domine in æternum permanes : & memoriale tuum in generationem & generationem.
Tu exurgens misereberis Sion quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.
Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus : & terræ ejus miserebuntur.
Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.
Quia ædificavit Dominus Sion & videbitur in gloria sua.
Respexit in orationem humilium. & non sprevit precem eorum.
Scribantur hæc in generatione altera : & populus qui creabitur laudabit Dominum.
Quia prospexit de excelso

sancto

sancto suo : Dominus de cælo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum : ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini : & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum, & Reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum : in generationem & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti : & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes

manes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idē ipse es, & anni tui non deficient.

Filii servorum tuorū habitabūt & semen eorū in sæculū dirigetur.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine Domine quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est & propter legē tuā sustinui te Dōine

Sustinuit anima mea in verbo ejus speravit anima mea in Dōino.

A custodia matutina usq; ad noctem speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum miseri-

cordia : & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua : exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi : & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus

operi-

operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Edu-

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, &c.

ANTIPHONA.

Ne reminiscaris, &c.

ACTUS CONTRITIONIS.

DOmine JESU Christe, vere DEus & homo, Creator & Redemptor meus.

Quoniam tu is es, qui es, & quia amo te super omnia.

Poenitet me ex toto corde, quod te offenderim.

Et propono firmiter nunquã amplius peccare, & omnes pec-

candi occasiones devitare, confiteri & implere pœnitentiam, quæ mihi injuncta fuerit.

Condono simul amori tui, ex corde omnes offensas, quibus læsus forte sum, à quovis proximorum meorum, & si quid quispiam habet contra me, unde jure coram te queratur, propono ex animo, me prima occasione ipsi satisfacturum.

Omnia deniq; opera mea & afflictiones, ac totam vitam, tibi offero in satisfactionem meorum peccatorum.

Quemadmodum suppliciter à te peto: sic confido in bonitate tua & misericordia infinita, quod ea meritis tuæ pretiosæ passionis & mortis mihi remissurus, & gratiam largiturus sis, ad me emendandũ & ad perseverandum usque ad mortem, Amen.

ACTUS PRÆVII

Ante Sacrificium, Vel Communionem.

ACTUS ADORATIONIS

Adoranda Majestas

DEUS meus venio ad Te meaq́; fero tributa quæ debeo infinitis perfectionibus tuis, in hoc Sacramento verè ac realiter præsentibus, ac inprimis tuæ supremæ Majestati hic exhibeo adorationem Latriæ, recognosco te primum principium & ultimũ finem rerum omnium, tuo Dominio hic præsenti persolvo profundissimam subjectionem ac protestationem meæ servitutis. Tuæ dignitati infinitæ reddo laudis Sacrifi-

crificium, quo dignus es & omnipotentiæ hic miracula patranti.

Persolvo tributum spei, in omnibus arduis Tuæ sapientiæ omnia videnti.

Exhibeo omnem possibilem reverentiam; Tuæ bonitati reddo amorem super omnia, tuæ voluntati & beneplacito exhibeo omnem gustum, complacentiam & contentationem, quam habes, & à te ipso, & ab omnibus creaturis.

Tuæ Asseitati reddo te ipsum DEus meus, quia hic es, hic præsenti veracitati tuæ infallibili, credo omnia & singula; de hoc Sacramento revelanti ac dicenti: Hoc est Corpus meum, & captivo intellectum meum in obsequium tuum.

Condi-

Confido fidelitati Tuæ dicenti, qui manducat hunc Panem, vivet in æternum. Timeo justitiam tuam comminantem judicium, indigne sumentibus. Admiror immensitatem hic mirabiliter præsentem & tuam æternitatem hic modo speciali esse incipientem. Desidero videre hic velatam pulchritudinem. Desidero imitari tuam Sanctitatem, tam miro modo. Benedico tuam Beneficentiam, pro administratione, usu, & institutione hujus Sacramenti Sanctissimi, pro gratiis in usu ejus collatis & conferendis. Exalto, magnifico, admiror tuas Personalitates, origines, notitiones hic præsentes, Patrem hic generantem Filium hic ex intellectione Patris nascentem, Spiritum Sanctum hic à

Patre & Filio procedentem ex amore: Tibi quoq; ô benedicta anima Redemptoris mei, sanctificata Personalitate Verbi Divini hic verè ac realiter præsenti, cum omnibus tuis potentiis, donis, habitibus, actibusq; Theandricis, exhibeo omnem venerationem, laudem, honorem; æstimationem, quam debeo, cujus capax es. Deniq; te adoro, complector, exosculor unitum Hypostatico Verbo Divino Sacrosanctum Corpus Domini mei cum omnibus ejus partibus, sensibus, vulneribus, cum dotibus tuis omnibus gloriosis, cum omnibus guttis sangvinis tui, confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi. Iste DEus meus, & glorificabo eum. Diligam te Domine fortitudo mea. Fir-

mamentum meum, & refugium meum & liberator meus. Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomen sanctum tuum in sæcula: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

A L I A.

Ad SS. Eucharistiam Oratio.

MI JEsu amor meus, omne bonum: Te ego in hoc Sacramento præsentem Verum Deum ac hominem, tota latitudine cordis mei, omni fortitudine virium mearum, omnibus modis possibilibus, tibi debitis, te dignis omnibus substantiæ meæ atomis, Te inquam saluto, adoro, laudo, glorifico, benedico, exalto, magnifico, Tibi credo, in te spero, tibi gratias ago. Te timeo re-

revereor, Te amo, amplector, æſtimo ſuper omnia, propter te tuamq́; dignitatem infinitam, hoc autem proteſtor me nunc exnunc pro ſemper pro omnibus momentis vitæ meæ, mortis, & æternitatis idq́; omni in loco Dominationis Tuæ, corde, ore & opere ac aff.ctibus. Inprimis B. V. Matris Tuæ, omniumq́; Electorum tuorum viatorum, & comprehenſorum, atq́; omnium Beatorum Spirituum, omniumq́; Sa[illegible]ctorum præſentium, futurorun[illegible] ac etiam ſi fas eſt poſſibiliū quorum omnes erga Te affectus, in via & patria elicitos, eliciendos, & elicibiles colligo, approbo, renovo, aſſumo, mihiq́; approprio, ac Tibi offero ad guſtum cordis Tui imò ad majorem contentationem ac complacentiam appe-

titus Tui, offero tibi infinitam illam laudem, amoremq́, quo te prosequitur SSma Trinitas, & quo Tu prosequeris SSS. Trinitatem dignus es Domine accipere laudem, & decorem, & honorem Benedictio, & Claritas, & Fortitudo, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus sit Tibi DEO nostro in æternum. Tu es DEUS meus, & glorificabo Te DEUS Patris mei, & exaltabo Te, Tu es ipse Rex meus & DEUS meus, Dominus meus & DEUS meus, Tu splendor Paternæ gloriæ, & Figura substantiæ ejus. Tu Imago DEI invisibilis, portans omnia Verbo virtutis Tuæ, purgationem peccatorum faciens, sedens ad dextram Majestatis in Excelsis, Tu Primogenitus omnis Cre-

aturæ

aturæ in Te condita sunt universa in Cælis & in terris, omnia in te & per te creata sunt, & tu es ante omnia, & omnia in te constant. In Te complacuit Patri omnem plenitudinem Divinitatis habitare, corporaliter per te reconciliare omnia, & in te pacificare per Sangvinem Crucis tuæ, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt. Tu Caput super omnem Ecclesiam, Tu Caput omnis principatûs, & potestatis: Tu unus Mediator DEI & hominum. Tu advocatus apud Patrem tuum. Tu propitiatio pro peccatis nostris. Nec est aliud Nomen sub Cælo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri. Tibi omnia Pater dedit in manus. Tibi data est omnis potestas in Cælo & in terra.

Tu Rex Regum, & Dominus dominantium. Tu constitutus es à DEO super Sion montem Sanctum ejus. Tu speciosus Formâ præ Filiis hominum. Tu desiderium collium æternorum. Tu expectatio gentium, desideratus cunctis gentibus. Tu totus desiderabilis. Totus desiderium, diligam ergo Te DEus.

Actus Breviores.

CRedo in te Domine DEUS meus, & in Fide Catholica Romana vivere & mori volo, spero in te & à te gratiam, & gloriam. Agnosco te Dominum ac DEUM meum, quem adoro super omnia, ibi præsertim, ubi minime coleris, nec adoraris, ubi à me aliisque offensus es. Appretio ac diligo te super id, quod

non

non eſt DEUS, te diligere ardentiſſime volo. Deteſtor omne peccatum ſuper omnia mala, quia tibi diſplicet, & quia eſt contra te DEUM meum Summe bonum. Doleo pro omnibus peccatis, propter te ſolum, à me ſuper omnia dilectum. Doleo ob amorem Crucifixi JESU quem amo ſuper omnia alia creata, ne [illegible] fendere volo in æternum. Offero me in omne beneplacitum tuum. Offero tibi omnia in honorem tuum, in gratiarum actionem pro beneficiis; in ſatisfactionem pro peccatis, & in impetrationem gratiarum & donorum mihi aliisq; neceſſariorum, item pro vivis & defunctis.

Ante Communem Admiratio.

UNde hoc mihi, quod ad me venire ambias, DEUS Ma-

jeſtatis Infinitæ, quid eſt homo quod memor es ejus, & quid apponis erga illum Cor Tuum; cælum & terra te non capiunt, & ego intra præcordia mea Te concludam, tremunt coram te Angelicæ poteſtates, & ego te manducare præſumam. Ergone ſic Tibi dulciſſime JESU in me habitare, & novum fabricare cælum in me placet? Ergo me ſic te ipſo, ſic carne nutries, tuo Sangvine potabis Dulce & ineffabile convivium, in quo Chriſtus ſumitur, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Qui unquam parentes ſic Filium ſuum aluerunt, ut tu me toto te alis, ac tota Divinitate ſaginas.

Humiliatio ſui.

AGnoſco meam vilitatem, & indi-

indignitatem Domine fateor millies, quod minime sim dignus qui te recipiam, ac Tecum conviver, non sum dignus ob peccata quæ in tuam bonitatem commissi, ac commissa detestor. Non sum dignus ob vilitatem meam in animo & corpore, ob quam me deprimo infra omnem creaturam abyssali demissione. Non sum dignus ob infinitam excellentiam & dignitatem tuam, quam veneror ac æstimo, super omnia. Si cæli non sunt mundi in conspectu tuo, quanto ego sum immundior. In sole posuisti tabernaculum tuum, & in corde meo meræ sunt tenebræ, sic ergo in tenebris sternes lectulum tuum. Quanta insuper distantia inter me & Te DEUS meus. Tu Majestas infinita

& essentia infinities perfectissima. Ego infinita vilitas & nihilum, Tu summa bonitas, ego summa malitia. Ergo ne ista extrema tã indissita conjungentur? DEUS homini incorporabitur?

Ornatus Animæ.

NOn est, quo animam meam exornem, ad recipiendum tam dulcem animæ meæ hospitem, scilicet: Te DEus meus: Ideo me totum Sangvine tuo immergo, ut pulchrior appaream in conspectu tuo, hoc vivo fonte ablutus. Assumo insuper & approprio mihi merita & affectus B. V. & Omnium Sanctorum, desiderans Te, cum eo affectu, cum illo amore ac puritate, cum illa humilitate ac fame recipere pro-

ut te in Incarnatione recepit B. V. M. & prout te in SS. Eucharistia receperunt ac recipiunt quæcunque placentes animæ.

Actus Virtutum.

CRedo amantissime JESU, te tuumque Corpus & Animam, Sangvinem & Divinitatem esse in hoc SS. Sacramento omnium Creaturarum adorationibus, Te in eodem administrabili & dulcissimo Sacramento ex tem, in omnibus templis adoro. Adoro Te SS: Angelorum Tibi assistentium, & SS: omnium adorationibus, Pretiosissimæ ac Dignissimæ Tuæ Parentis. Spero in immensa tua bonitate, quaro me efficies participem fructuum quos in animabus dignè & ardenter Te recipientibus operaris.

insuper, ô Bonitas ineffabilis, ô Bonum super omne Bonum, ô DEUS cordis mei, appretio & æstimo Te super omnia. Item omnem proximum & inimicos diligo sicut tu vis & jubes, sed quam exilis amor meus erga Te. O vera Bonitas quam toties offendi. Ergo omnium perfectissime contritorum doloribus, me criminum tot pænitet, omni possibili contritione defleo peccata mea, quibus te optimum; Te super omnia offendi, nec amplius offendere præsumam. Offero me ad implendam in omnibus & exequendam voluntatem Tuam. Offero & resigno me in Tuum beneplacitum. Offero Tibi OO. SS. affectus & virtutes, easque approbo ac confirmo;

Deſiderium SSS. Euchariſtiæ.

ERgo veni Dilecte mi, & noli tardare, patet Tibi cor meum illud quàm primum ſolus occupa. Veni dulcedo cordis mei. Veni delectatio mea, ſolatium meum ſvave. O JESU mi dulciſſime! ſpes ſuſpirantis animæ, Te quærunt piæ animæ, & clamor mentis intimæ. Veni piiſſime Rex ad ſubjectiſſimum Tibi ſervulum, Veni Pater dulciſſime & m[illegible] cordiſſime, ad indignum & [illegible] digum penè Filium. Veni Dives in miſericordia ad egenam animam meam. Veni Lux increata, & illumina me. Veni pulchritudo immenſa & recrea me. Veni gemma pretioſa, & orna me. Veni Fons vitæ, & amore Tuo inebria me. Veni ignis Conſumens, & accende me flammâ æternæ.

ternæ charitatis, veni consolator optime, dulcis Hospes animæ, dulce refrigerium: ad te anhelat cor meũ, patent tibi viscera mea, descende priusquam moriatur tui desiderio servus tuus. Quemadmodum desiderat cervus &c. Desidero te recipere eo desiderio, quô te animæ è purgatorio aspirant vel cum quo desiderio Angeli ascendentem in cælum, & Beatissima Mater tua in Incarnatione, cum quo eadem & alii te in S. Communione recepêre: Veni, desidero te millies mi JESU, quando venies, ut me te ipso saties, te solum diligo. Te benedico super omnia, te cupio & ardenter desidero. O summum bonum animæ meæ! ô DEUS cordis mei! ô DEus meus & omnia.

Tædium.

Usquequo dulcissime amor mi JESU, tollis animam meam & non venis, odiosa est mihi omnis quies sine te, & longa nimis sine te omnis mora nihil mihi sufficit, nisi mihi des te ipsum omne Bonum. Adesto Domine, & quam primùm occupa, imple me te ipso, & satia.

Fames.

Deficiunt ecce oculi mei præ inedia suavissime JESU, & non sit tibi curæ, fames oppressit animam meam & non venis. O ubi es, qui dicebas: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè potus; si cui est, cur non mihi! ô Deus, qui das escam esurientibus da mihi Panem hunc vitæ supersubstantialem, omne delectamentum

tum in ſe habentem, ut mortem non guſtem in æternum.

Invocatio Sanctorum.

O Sancti & Sanctæ DEI adeſte mihi & jam DEUM veſtrum & meum recepturo ferte opem, meq́; veſtris ornate meritis, virtutibus, gratiis, amore Chriſti ac deſiderio inſatiabili inflammate, adeſte & vos puriſſimi Angeli & Spiritus, & cor meum ornatu deſtitutum veſtris ornate ſplendoribus, ut purior gratiorq́; coram Rege Angelorum comparеam. An vero ſine te, ſine tuis ornamentis, dulciſſimum Cordis tui delicium ac theſaurum inæſtimabilem, tuum inquam Filium recipere præſumam. O Beata & Admirabilis Mater Dei & Virgo, Tu potiſſimum exorna me tuis meri-

meritis ac virtutibus, donis ac dignationibus, ardore & pietate. Ut tu ipse Domine JESU inopem animam meam ineffabilibus meritis & excellentiis Tuis, & me dignum te tanto hospite, ac incola, dignum te inhabitante, domicilium exhibe.

Desiderium.

UTinam disrumperes Cælos, & jam descenderes. Rorate Cæli desuper & Nubes pluant justum veniat dilectus in hortum suum, veniat desideratus cunctis gentibus. Desiderium Collium æternorum, veniat dilectus electus ex millibus, totus desiderabilis, ad quem suspiro, sponsus animæ, quem requiro, in quem desiderant Angeli prospicere. Cujus pulchritudinem sol & luna mirantur, in quem, cor & caro mea

exul-

exultat. O qualem in me hoſpitem, quàm æſtimabile Bonum ac ſolatium recipiam. Veni Domine, & noli tardare, veni ut ſalvum me facias, te amo, te totis præcordiis æſtimo. Te Seraphicis affectibus concupiſco, & ardenter deſidero.

Sub ipſam Communionem recognoſce tuam indignitatem per hos actus:

CRedo in te Domine, ſpero, adoro te, ac diligo, doleo, gratias ago, offeroq; deſidero in unione amoris, ac devotionis, humilitatis ac puritatis B. V. & omnium SS. Te recipere, ac corde & affectu horum omnium recipio: Domine non ſum dignus &c. Quis mihi det te ſugentem &c. *Dein invoca SS. Oratione Supra poſita, ſuſpira & ad Beatiſſimam.*

PEr te accessum habeamus ad Filium, ô Beatissima Inventrix gratiæ, adjutrix vitæ. Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Domina nostra, mediatrix nostra, tuo Filio nos reconcilia & repræsenta.

Post Communionem.

SAluto te ô de[illegible] Hospes, ô amor & gaudium meum dulcis JESU! Salve Rex Regum, & Domine Dominantium. Salve ô Redemptor misericordissime, sponse præ Filiis hominum speciosissime ac suavissime, suavissima dulcedo, bonitas inexhausta, felix hora, felix mora, quæ me tanto beavit hospite. Saluto te puro affectu, quo te [illegible]tavit purissima Mater tu[illegible]um in suis te concepit visc[illegible]bus, &

in præsepio reclinavit; vel certè prout te salutarunt Angelici chori Cælis receptum vel cum quo affectu te recepit post Ascensionem æternus Pater, & ad suam dexteram in cælis collocavit.

Adoratio.

AGnosco tuam infinitam Bonitatem, Excellentiam, quam super omnia æstimo & adoro OO. SS. & Omnium Creaturarum possibili adoratione. Adoro hic & ubiq; tuam Divinitatem. Adoro te Corpus divinum. Adoro te Sangvis pretiosissime, pretium animæ meæ, & ab omnibus te super omnia creata coli & adorari desidero in æternum.

Humiliatio sui.

UNdè hoc mihi; quod veneris ad me Deus meus, quid

eſt homo, quod memor es ejus, & quod viſitas eum, aut cur appo- nis erga eum cor tuum? Juſtiùs ego dicam quam tuus Apoſtolus Petrus dixerit: Exi à me Domine quia homo peccator ſum. Agno- ſco Abyſſalem indignitatem me- am, ſed ſimul deprædico viſcera miſericordiæ tuæ, in quibus me viſitaſti oriens ex alto: Benedi- ctum ſit nomen Sanctum tuum, quod me tam dignaris inviſere, & te ipſo paſcere, Tibi gloria & gra- tiarum actio per totam æternita- tem & ultra, Amen.

Exultatio cordis.

QUidni exultet ſpiritus me- us in DEO ſalutari ſuo? Exulta anima mea, quia ma- gnus in medio tui Sanctus San- ctorum, habes omne Bonum O anima

anima mea, dum habes JESUM. Delectare in Domino, & ipse dabit petitiones cordis tui. Et sanè quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? præter te, DEus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. Delectant alios terrena, ego verò delector in Domino, & exultabo in DEO JESU meo. Sufficis mihi ô mi JESU, nam nimis avarus est, cui DEUS non sufficit. Tu mihi instar omnium. Tu thesaurus indeficiens cordis mei. Tu omne bonum meum. Gaudeo de te & in te super omnia. Mane mecum, mane nobiscum Domine in æternum.

Tractatio Hospitis.

QUid autem tibi apponam, aut quibus Te modis tra-

ſtabo dulcis Hoſpes animæ meæ.
Nihil habeó dignum conſpectu
& guſtu Majeſtatis tuæ. Reſtat,
ut te tractem Te ipſo, & offeram
ſicut nunc offero Auguſtiſſimum
hoc Corporis & Sangvinis Sa-
cramentum, unà cum meritis
& Divinitate Tua, offero inſuper
Majeſtati Tuæ omnes affectus &
virtutes B. V. Matris tuæ, OO.
SS. in unione horum offero Tibi
me totum, & omnia mea in be-
neplacitum tuum, ad majorem
guſtum gloriamq; tuam. JESUS
& MARIA amores mei, patiar
ego, moriar ego amore veſtri,
totus ſim veſter nullus me-
is. Suſcipe Domine univerſam
libertatem meam, accipe me-
moriam, intellectum, & volunta-
tem, quidquid habeo vel poſſideo
id tibi totum, reſtituo, ac tuæ
pror-

prorſus voluntati reddo gubernandum. Amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultra peto.

Actus Virtutum.

SEmel poſt Paſſionem tuam acerbiſſimam ad inferos deſcendiſti Domine JESU, ad me toties deſcendis, in quo locum inferno pejorem reperis, divertis ad habitaculum cordis mei, quàm vilis hæc habitatio tua. Cæli non ſunt mundi in conſpectu tuo, & quid ego? Ergo iterum domum hanc virtutibus adorno, dum profiteor, dum credo in te DEUM meum. Dominus meus, & DEus meus tu es & ego ſervus tuus & filius Ancillæ tuæ. ſpero in miſericordia tua, in meritis cruentæ paſ-

ſionis

sionis tuæ remissionem peccatorum & vitam æternam. Diligo Te infinities omnium Seraphinorum amore & ab omnibus diligi, summopere desidero; utinam te, quem diligo, & æstimo super omnia, nunquam offendissem nunquam offenderem posthac in æternum.

Gratulatio Iterum.

QUid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi jam tibi obtuli omnium SS. merita, & affectus, & te ipsum totum à me in obsequium & gloriam æternam insuper in Gratiarum actionem offero Divinæ Bonitati tuæ quidquid loquar, cogitabo, patiar, omnes gressus, nutus, affectus, momenta, circumstantias, volens te pro hoc beneficio

neficio ſacræ Communionis, per omnia, in omnibus, & ſuper omnia adorare, magnificare, ac omni poſſibili ac debito tibi affectu te proſequi in æternum. Potiſſimum verò in gratiarum actionem promitto me hoc peccatum N. ſedulò vitaturum, hanc N. virtutem unicè ſectaturum, & in hac re heroicam mei victoriam ſectaturum.

Poſtulatio.

BEnedic Domine domum animæ quam ingreſſus es. Benedic ſenſibus internis & externis, benedic potentiis animæ meæ, benedic progreſſui ac fini vitæ meæ, vide neceſſitates meas, & de illis erue me. Fons es, ablue me immundum, ignis es, accende me amore tui interno. Lux es

es, illumina tenebras meas, & da mihi Fidei, Spei, Charitatis, Humilitatis, resignationis, continentiæ & puritatis donum atq́, continuum augmentum virtutum. Præcipuè tamen mihi confer gratiam, ne unquam à te per peccatum mortale separer, & da felicem mortem; Da Ecclesiæ, da parentibus, superioribus, Propinquis, da Ecclesiastico statui & sæculari, quod illis proficuum vides; miserere agonizantibus & in purgatorio detentis, miserere Hæreticis & Paganis, ut te DEum verum agnoscant & Ecclesiæ Catholicæ aggregentur; miserere pupillis & afflictis, & in quacunq́; necessitate, maximè in peccato mortali constitutis.

Oratio ad DEum Patrem.

GRatias tibi ago Domine

Sancte Pater omnipotens, æterne DEus, qui indignum famulum tuum, nullis meis meritis exigentibus, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso Corpore & Sanguine Filii tui, Domini nostri JESU Christi. Et precor, ut hæc Sancta Communio, non sit mihi reatus ad pænam, sed intercessio salutaris veniam, sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ, ac libidinis exterminatio, charitatis, patientiæ, humilitatis obedientiæ, omniumq; virtutũ augmentũ, contra insidias inimicorum, tam visibilium, quam invisibilium firma defensio, motuum meorum, tam carnalium, quàm spiritualium perfecta quie-
tatio,

tatio, in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atq; finis mei felix consummatio. Et Precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu ipse cum Filio tuo, & Spiritu Sancto Sanctis tuis, lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, & felicitas perfecta, Amen.

Oratio ad IESVM.

ADoro te dulcissime JESU cum Patre, & Spiritu S. venientem ad me indignissimum & omnibus creaturis pejorem, hic, & in omnibus speciebus Eucharisticis existentem & in omnibus locis in quibus te offendimus & in quibus aliquo beneficio tuo affecti sumus, & in quibus ali-

quid paſſi ſumus, & in quibus operatus es opera redemptionis noſtræ. Et gratias ago tibi pro tuo ad me indigniſſimum adventu, & pro omnibus beneficiis tuis communibus &perſonalibus,notis & ignotis, præſertim pro beneficio redemptionis & pro liberatione, ac præſervatione noſtri, à tam multis peccatis, & pro gratia juſtificationis, ac ſanctificationis, ac tam ampla multitudine auxiliorum gratiæ è te in nos conferri ſolitorum, & tam multiplici uſu & fructu *Sacramentorum* in Eccleſia Sancta tua, ac pro prædeſtinatione noſtri ad gloriam cæleſtem, & pro patientia tua in tolerandis tot noſtris peccatis, & perſeverantia multorum in gratia tua, & pro tot animarum converſione ac vocatione ad ſtatum ſpiri-

ſpiritualem, & pro divinis tuis manuductionibus ad vitæ perfectionem. Quocirca: in unione omnium meritorum tuorũ offero tibi, & Patri, & Spiritui S. hoc SS. Sacrificium & Sacramentum, in recognitionem tuæ infinitæ majeſtatis ac debiti noſtri, & indignitatis noſtræ ac demeritorum noſtrorum, pro omnibus beneficiis tuis, & pro peccatis, & neceſſitatibus noſtris. Et in unione hujus SS. oblationis, offero tibi omnia vota mea, deſideria, propoſita bona, omnes actus, qui tibi unquam in me, & in aliis placuerunt, illos ratificando, deſiderando, & iterando, in quantum poſſum. Et rogo Divinam Majeſtatem tuam ut hanc oblationem, in odorem ſuavitatis acceptare digneris, & effundere in nos & in noſtra om-

nia, omnem benedictionem cælestem in mensura bona, conferta, coagitata & supereffluente, quæ benedicat omnia nostra, Amen.

Oratio ad B. M. V.

COmmendo me tibi Sanctissima vereq; inclyta Virgo Maria, cæli ac terræ Regina, quæ in tuo sacratissimo utero eundem Dominum, & omnium Creatorem, quem ego modò suscepi, de Spiritu S. conceptum dignè portasti, precor te Matrem DEI Sanctissimam, ut pro me apud eundem Filium tuum intercedas, & quacunq; ratione in summi Sacramenti hujus sumptione deliqui hujus negligentiæ & indignitatis meæ veniam impetres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior, & Sanctior, Deoq; gratior,

or, evasisti. Utinam & ego tam Divini Sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor & corpus meum ab omni letalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto Filio de Spiritu Sancto magnificas laudes Domino lætè decantasti, & in Deo salutari tuo mirabiliter exultasti. O si tuis efficacibus precibus id assequar Virgo Mater, ut cum hac sacra Communione novum & ardentem Spiritum concipiam: ac semper in gratiarum actione pia verser, tantoq; Redemptori & Hospiti me nunquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum ostendam, Amen.

DEUS qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos corporis &

Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, aut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus, qui vivis &c.

O quam ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cœlo præſtito eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittis inanes, tua nos gratia ſemper præveniat, & ſequatur ac ſtudiis noſtris, bonisq; operibus jugiter præſtet eſſe intentos. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Praxis audiendi Sacrum.

CUm Sacerdos indutus veſtimentis, inſignia Paſſionis Chriſti repræſentātibus, accedit ad altare, cogita Filium Dei ab æterno præ oculis habuiſſe, non ſolum

lum multitudinem, & gravitatem peccatorum totius mundi, sed etiam omnia instrumenta passionis, & dolores, quos in horto, peccatoris indutus personam, & toto passionis tempore subiturus erat, quæ ruminando, elice actum contritionis de peccatis.

2. *Ad Introitum & Gloria in excelsis.*

RECordare Mysterii Nativitatis Christi quam ferventibus desideriis SS. Patres in limbo exspectabant, & Angeli coram pastoribus glorificabant. Elice actus gratiarum actionis, & adorationis.

3. *Ad Collectas.*

REcogita vitam Christi activam & contemplativam ad annũ trigesimum: elice actus proportionatos rei offerendo Deo

Patri omnia myſteria vitæ Chriſti ad hoc tempus peracta in recognitionem illius æternæ veritatis, & proteſtationem tuæ fidei. 2. Illius miſericordiæ, & tuæ ſpei. 3. Illius bonitatis, & tui amoris. 4. Illius infinitæ majeſtatis & tuæ adorationis. Deinde per eadem myſteria pete veram imitationem vitæ Chriſti & perfectum illius amorem.

Dum Sacerdos offert Hoſtiam & calicem: expende Chriſtum Dominum omnes ſuæ prædicationis labores pro te DEO Patri offerentem, & ingenti deſiderio æſtuantem, ſe totum in holocauſtum quantocyus offerendi. Elice actum tum oblationis, quô unà cum Chriſto offeras omnes tuas cogitationes, verba, opera, & tribulationes, tum confuſio-

nis

nis, quod pro illo pati subterfugias.

Ad Præfationem.

REcole humilem Christi triumphum in ingressu die Palmarum Jerusalem: elice actus reverentiæ, & gratitudinis.

Ad Canonem.

ADmirare Christi profundam humilitatem, silentium, & varias injurias patientissimè coram iniquis Judicibus toleratas, petendo ut tibi similes virtutes conferre dignetur.

Ad memento vivorum.

COmmenda Deo per merita vitæ & mortis Christi, 1. illud negotium, pro quo primario oras. 2. te ipsum. 3. tibi commendatos. 4. Ecclesiam, summum Pontificem, & Prælatos. 5. Omnes Religiosos Ordines, ut

ad majorem DEI gloriam, quam plurimi Sancti evadant. 6. Imperatorem, & alios Christianos Principes. 7. Parentes & consangvineos. 8. Benefactores. 9. Inimicos. 10, Afflictos in corpore & anima. 11. Peccatores ut convertantur.

Ad verba Hanc igitur oblationem.

REvoca in mentem damnationem Christi coram Pilato ad mortem. Elice actum compassionis, petendo ut det felicem vitæ exitum.

Ad Elevationem Hostiæ & Calicis.

INtuere Christum Crucifixum elevatum, ac demissum in terram. Elice actus fidei, spei, charitatis, adorationis.

Ad Memento Defunctorum.

COmmenda DEO defunctos in Vulneribus Christi hoc ordine. v. g. Me-

Memento Domine. 1. In Vulnere manûs dextræ Filii Tui, per illum dolorem ejus & sangvinem de eâdem effusum, Parentum meorum & N. N. Consangvineorum. 2. In Vulnere manus sinistræ commendatorum, N: N. 3. In Vulnere cordis, inimicorum & persecutorum N. N. 4. In Vulnere pedis dextri, omnium Defunctorum, qui carent auxilio. 5. In Vulnere, pedis sinistri omnium Defunctorum, quibus longum est tempus in purgatorio designatum

Nobis quoque peccatoribus.

AUdi latronem pænitentem, & Christum Paradisum promittentem. Elice actus contritionis, & fiducia de obtinenda venia.

Ad Cruces supra Calicem signatas.

EXpende Christi dolores per tres

tres horas in Cruce pendentis Elice actus compassionis, doloris, &c. Omnia hæc mysteria offer DEO Patri in recognitionem illius beneficiorum: & tuæ gratitudinis pro impetranda tibi venia, gratia, gloria, fidelibus defunctis requie.

Ad Communionem.

PRæpara te ad Spiritualem Communionem, ut cum sacerdote communices spiritualiter. 1. Ad Orationem Dominicam. recorderis Christi in Cruce pendentis, reliqua verba proferentis, & proportionatos illis affectus exerce.

Ad Pax Domini & Agnus.

COgita Christi Domini resurrectionem, & elice actus gaudii, gratulationis, & spei de obtinenda æterna beatitudine per merita Christi.

Ad

Ad Domine non ſum dignus.

AGnoſce triplicem tuam indignitatem nempe: 1. propter multitudinem & gravitatem peccatorum. 2. propter ingratitudinem pro tot beneficiis. 3. propter abyſſum divinarum perfectionum & tuarum miſeriarum. Ad ipſam Communionem Sacerdotis facies hæc: 1. Elice actus fidei de vera præſentia Chriſti in Euchariſtia. 2. Spei de remiſſione peccatorum. 3. Charitatis, de bonitate illius. 4. Contritionis. 5. Deſiderii uniendi te cum Chriſto intimè per ſumptionem ſpiritualem Corporis ejus. Sic ſpiritualiter ſumptum Dominum offer Deo Patri, in recognitionem illius liberalitatis, & tuæ gratiarum actionis pro beneficiis natu-

naturæ, gratiæ, & gloriæ, petens ab eo necessaria tibi & aliis.

Ad Collectas.

PEte simul cum Sacerdote ea, quæ in illis continentur:

Ad Ite Missa est, & Benedictionem.

REcogita Christum in cælos ascendentem, & Discipulis benedictionem impertientem.

Ad Evangelium S. Ioannis In principio erat, &c.

EXpende quomodo relictis Judæis prædicatio Evangelii ad Gentes transierit. Elice actus gratiarum actionis, & offer totum Sacrificium Deo Patri. 1. in adorationem illius infinitæ majestatis. 2. in gratiarum actionem pro beneficiis per Christum tibi & universo mundo collatis. 3. In satisfactionem pro tuis peccatis

catis. 4. Pro impetranda venia, gratia, gloria, tibi & aliis.

Profeſſio Fidei de SS. Sacramento, à Sancto Thoma Aquinate compoſita, quam Eccleſia per octavam Corporis Chriſti in ſacro Miſſæ ſacrificio uſurpat.

LAuda Sion Salvatorem;
Lauda Ducem & Paſtorem
In hymnis & canticis.
Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare ſufficis,
Laudis Thema ſpecialis,
Panis vivus & vitalis
Hodie proponitur.
Quem, in ſacræ menſa cœnæ.
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.
Sit laus plena, ſit ſonora.
Sit jucunda ſit decora.

Mentis

Mentis jubilatio
Dies enim ſolennis agitur,
In qua menſæ prima recolitur
Hujus inſtitutio,
In hac menſa novi Regis.
Novum Paſcha novæ legis,
Phaſe vetus terminat.
Vetuſtatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat,
Quod in cœna Chriſtus geſſit.
Faciendum hoc expreſſit,
In ſui memoriam.
Docti ſacris inſtitutis,
Panem, vinum in ſalutis
Conſecramus Hoſtiam.
Dogma datur Chriſtianis,
Quod in carnem tranſit panis,
Et vinum in ſangvinem.
Quod non capis, quod non vides
Animoſa firmat fides.
Præter rerum ordinem.

Sub diverſis ſpeciebus,
Signis tantum & non rebus,
Latent res eximiæ,
Caro cibus, Sangvis potus,
Manet tamen Chriſtus totus
Sub utraque ſpecie.
A ſumente non conciſus,
Non confractus, non diviſus,
Integer accipitur.
Sumit unus, ſumunt mille,
Quantum iſti, tantum ille,
Nec ſumptus conſumitur.
Sumunt boni, ſumunt mali,
Sorte tamen inæquali,
Vitæ vel interitus.
Mors eſt malis, vita bonis,
Vide, paris ſumptionis,
Quam ſit diſpar exitus,
Fracto demum Sacramento?
Ne vacilles ſed memento,
Tantum eſſe ſub fragmento.
Quantum toto tegitur.

Nulla

Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Quâ nec status, nec statura
Signati minuitur.
Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum,
Verè panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris præsignatur,
Cùm Isaac immolatur,
Agnus Paschæ deputatur:
Datur manna Patribus.
Bone Pastor panis vere,
JEsu nostri miserere,
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu qui cuncta scis & vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales;
Cohæredes & sodales,
Fac Sanctorum civium, Am.

PAnge lingva gloriosi
  Corporis mysterium,
Sangvinisq; pretiosi
  Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
  Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
  Ex intacta Virgine.
Et in mundo conversatus,
  Sparso Verbi semine
Sui moras incolatus:
  Miro clausit ordine.
In supremæ nocte cænæ
  Recumbens cum fratribus
Observata lege plenè
  Cibis in legalibus
Cibum turbæ Duodenæ
  Se dat suis manibus,
Verbum caro panem verum
  Verbo carnem efficit.

Fit

Fitq; Sangvis Christ, merum,
Etsi sensus deficit.
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum,
Veneremur cernui.
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui.
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori Genitoque
Laus & jubilatio,
Salus honor virtus quoque
Sit & benedictio.
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Flant Domine oculi tui intendentes super Regnum istud & super Proceres Regni istius. Civitatem istam & omnem Christianum Populum. Sapientiam: Pacem, Charitatem, & o-

mnia quæ nobis nosti esse necessaria: Clemens & propitius tribuere digneris.

O Salutaris Hostia,
Quæ cæli pandis Ostium.
Bella premunt hostilia,
Da robur fer auxilium.
Uni Trinoque Domino,
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino,
Nobis donet in Patria.

ECce Panis Angelorum.
Factus cibus viatorum,
Vere Panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris præsignatur,
Dum Isaac immolatur,
Agnus Paschæ deputatur:
Datur Manna Patribus.
Bone Pastor Panis vere,
JESU Christe miserere.

Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre,
In terra viventium.

Adoratio Sanctissimi Sacramenti S. Thomæ Aquinatis Doctoris Ecclesiæ.

ADoro te devotè latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit,
Visus, gustus, tactus, in te fallitur,
Sed auditu solo tutè creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius:
Nil hoc Verbo Veritatis veriùs.
In Cruce latebat sola Deitas,
At hic simul latet & humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petiit latro pœnitens.
Plagas sicut Thomas non intueor
Deum

DEum tamen meum te confiteor
Fac me sẽper inte magis, credere.
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus vitã præstans homini,
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulcè sapere.
Pie Pelicane, JEsu Domine.
Me immundũ mũda tuo sanguine
Cujus una stilla salvum facere.
Totum mundum potest omni scelere.
JEsu quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelatâ cernens facie,
Visus sim beatus tuæ gloriæ, Am.

ORATIO.

Sancti Ignatii Lojolæ.

ANima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me.
Sanguis Christi inebria me:
Aqua lateris Christi lava me:

Paſſio Chriſti conforta me.
O bone JESU exaudi me,
Intra Vulnera tua abſconde me,
Et ne permittas me ſeparari à Te
Ab hoſte maligno defende me.
In hora mortis meæ voca me.
Et jube me venire ad Te,
Et pone me juxta Te,
Ut cum Sanctis tuis laudem Te,
In ſæcula ſæculorum, Amen.

O DEUS, qui nobis in ſancta Sindone, quâ Corpus tuum ſacratiſſimum de Cruce depoſitum, à Joſeph involutum fuit, Paſſionis tuæ veſtigia reliquiſti; concede propitius, ut per mortem & ſepulturam tuam ad reſurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

(*********************)

EXERCITIUM SEPTIMUM.

In Purissimam Virginem.

OFFICIUM

Immaculatæ Conceptionis

B. V. MARIÆ.

AD MATUTINUM.

EJa mea labia nunc annũciate Laudes & præconia Virginis Beatæ.

Domina in adjutorium meum intende.

Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

SAlve mundi Domina,
Cælorum Regina.
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.
Salve plena gratiæ,
Clara lux Divina:
Mundi in auxilium,
Domina festina.
Ab æterno Dominus,
Te præordinavit,
Matrem Unigeniti,
Verbi, quo creavit:
Terram, Pontum, Æthera.
Te pulchram ornavit.
Sibi Sponsam, in qua,
Adam non peccavit.
Elegit eam Deus, & præelegit eam
In tabernaculo suo habitare fecit eam.

Domina exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

SAncta MARIA Regina Coelorum, Mater Domini nostri JESU Christi, & mundi Domina quæ nullum derelinquis & nullum despicis, respice me Domina clementer oculo tuæ pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectū Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc tuam Sanctam Immaculatam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso quem Virgo peperisti donante Domino nostro JESU Christo. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in Trinitate perfecta, DEus in sæcula sæculorum, Amen.

Domina exaudi orationem meam

Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Et fidelium animæ per misericor-
viam DEI requiescant in pa-
ce. Amen.

AD PRIMAM.

Domina in ajutorium meum in-
tende.
Me de manu hostiū potenter &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo sapiens,
Domus Deo grata,
Columna septemplici,
Mensaque exornata.
Ab omni contagio,
Mundi præservata,
Antè sancta, in utero
Parentis quàm nata.
Tu Mater viventium,
Et porta Sanctorum,

Nova stella ex Jacob.
Domina Angelorum.
Zabulo terribilis,
Acies castrorum.
Portus & refugium
Sis Christianorum.
Ipse creavit eam in Spiritu Sancto
Et effudit illam super omnia opera sua.
Domina exaudi orationem meã,
Et clamor meus ad te veniat.
Oremus. Sancta Maria &c. *ut suprà.*

AD TERTIAM.

Domina in adjutorium meum intende,
Me de manu hostium &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

SAlve Arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher Ætheris,
Rubus visionis,

Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis.
Porta clausa Numinis,
Favusque Samsonis,
Decebat tam Nobilem
Natum præcavere,
Te ab originali
Labe Matris Evæ,
Almam quam elegerat,
Genitricem vere,
Nulli prorsus patiens.
Culpæ subjacere.
Ego in altissimis habito,
Et thronus meus in colũna nubis
Domina exaudi orationem meã,
Et clamor meus ad te veniat:
Oremus. Sancta Maria &c *ut supra*

AD SEXTAM.

Domina in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HY

HYMNUS.

SAlve ô puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.
Solamen mærentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiæ ,
Cedrus Caſtitatis,
Terra es Benedicta,
Et Sacerdotalis ,
Sancta atque immunis
Culpæ Originalis.
Civitas altiſſimi ,
Porta orientalis,
In te eſt omnis gratia,
Virgo ſingularis.
Sicut lilium inter ſpinas,
Sic amica mea inter Filias Adæ,
Domina exaudi orationem meã ,
Et clamor meus ad te veniat.
Oremus. Sancta Maria &c. *ut ſupra*

AD NONAM.

Domina in adjutorium meum intende.

Me de manu hostium &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

Salve Urbs Refugii,
Turrisque munita,
David propugnaculis,
Armisque insignita.

Tu in Conceptione
Charitate ignita,
Infernalis potestas
Est à Te contrita.

Eja mulier fortis,
Et invicta Judith;
Pulchra Abisai Virgo;
Verum fovens David.

Rachel procuratorem.
Ægypti gestavit,
Sed Salvatorem mundi
MARIA portavit.

Tota

Tota pulchra es amica mea.

Et macula originalis nunquam fuit in te.

Domina exaùdi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. *Sancta* Maria &c. *ut supra.*

Domina in adjutorium meum intende.

Me de manu hostium &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

SAlve Horologium,
Quo retro trahatur
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatur.
Homo ut ab inferis,
Ad summa tollatur,
Immensus ab Angelis,
Paulo minoratur.
Solis hujus radiis,
MARIA coruscat,
Et consurgens auroræ
In conceptu micat,

Lilium inter spinas.
Quæ serpentis terat
Caput, pulchra ut luna,
Errantes collustrat.
Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens,
Et sicut nebula texi omnē terrā,
Domina exaudi orationem meā,
Et clamor meus ad te veniat.
Oremus. Sancta Maria &c. *ut supra*

AD COMPLETORIUM.

Convertat nos Domina, tuis precibus, placatus, JEsus Christus Filius tuus.
Et avertat iram suam à nobis.
Domina in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo Nobilis,
Mater illibata,

Re

Regina clemenriæ,
Stellis coronata.
Supra omnes Angelos,
Pura immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veste inaurata
Per te Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum,
Refulgens stella maris,
Portus naufragorum.
Patens cæli janua,
Salus infirmorum.
Videamus Triadem,
In Aula Sanctorum.
Oleum effusum MARIA nomen tuum.
Servi tui dilexerunt te nimis.
Domina exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.
Oremus. Sancta Maria &c. *ut supra*

COMMENDATIO.

SUpplices offerimus

Tibi

Tibi Virgo pia
Has horas canonicas ;
Fac nos ut in via
Ducas cursu prospero,
Et in agonia ,
Præsens nobis assiste,
O dulcis MARIA , Amen.

ANTIPHONA.

Hæc est Virga in qua nec nodus originalis nec cortex actualis culpæ unquam fuit.

In Conceptione tua Virgo immaculata fuisti.

Ora pro nobis Patrem cujus Filium peperisti.

ORATIO.

DEus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum filio tuo habitaculum præparasti quæsumus ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisa,

cam

eam ab omni labe præservasti ita nos quoque mundos ; ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum, &c.

LITANIÆ
De Beatissima Virgine MARIA.

KYrie eleison. Christe eleison Kyrie eleison.
Christe audi nos,
Christe exaudi nos.
Pater de cælis DEUS ; Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere nobis.
Spiritus Sancte DEUS, Miserere
Sancta Trinitas unus DEus, Misere
Sancta MARIA,
Sancta DEI Genitrix.

an:

Sancta Virgo Virginum.
Mater Christi,
Mater Divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis.
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo Prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Virgo sine peccato originali concepta,
Speculum Justitiæ,
Sedes Sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,

Ora pro nobis.

Vas ſpirituale,
Vas honorabile,
Vas inſigne devotionis,
Roſa myſtica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua cæli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confeſſorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium
Regina Regni Poloniæ,

Ora pro nobis.

gnus

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. *Ave Maria &c.*

Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix; noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed à periculis cunctis, libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta.

℣. Ora pro nobis ſancta DEI Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

ORATIO.

DEfende quæſumus Domine

Be-

Beata MARIA semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum, &c.

Commendatio sui ipsius B. Virgini MARIÆ.

O Domina mea Sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam & in sinũ misericordiæ tuæ, hodie & quotidie & in hora exitus mei, animam meã, & corpus meũ tibi commendo, omnem spem, & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo, ut per tuam Sanctissimam intercessionem & per tua merita omnia mea dirigantur & dispo-

nantur

nantur opera secundùm tuam tuiq; Filii voluntatem, Amen.

ORATIO.

IN manus tuas ô Sanctissima Virgo MARIA ego indignus peccator, commendo corpus meum & animam meam, sensus meos & omnes actus meos, parentes, consanguineos, amicos, & benefactores meos vivos & defunctos, & omnes mihi recommendatos, & quibus debitor sum. Miserere nostri clementissima Virgo MARIA, Mater Domini nostri JESU Christi, inclina nunc pias aures tuas ad preces meas, & libera nos ab omni tribulatione, angustia, & ab omnibus nos affligentibus ac calumniantibus. O pia Genitrix, Virgo MARIA, ne permittas me

me amplius tentari ; quam mea fragilitas sustinere potest. O Domina gloriosissima Virgo MARIA , ne derelinquas me in tribulatione mea : ut non corruam in conspectu adversariorum meorum , ne de me gaudeant inimici mei, sed me confortet tua gratia , ad voluntatem Filii tui faciendam , & ad propositum meum ipsi fideliter observandum. Ad Te dulcissima & serenissima Virgo MARIA , petitiones meæ , & dolores cordis mei ascendant ; ne quæso revertatur vacua ad me deprecatio mea, sed misericordia tua præveniat , & sequatur me usq; in senectam, & senium. O Domina Præstantissima, dignissima , mitissima, castissima , benignissima, felicissima , pulcherrima , misericor-

ricordiſſima Virgo MARIA ne derelinquas me in hora mortis meæ, ſed ab omni malo me tunc eripias, & perducas miſeram animam meam, in locum refrigerii, pacis & quietis ubi benedicat, & glorificet atq; laudet JESUM Chriſtum Filium tuum, unà cum Patre & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Salutatio Beatæ Virginis MARIÆ.

AVe MARIA, Ancilla Sanctæ Trinitatis humillima,

Ave MARIA, præelecta Dei Patris Sanctiſſima.

Ave MARIA, Sponſa Spiritûs Sancti amabiliſſima.

Ave MARIA, Mater Domini noſtri JESU Chriſti digniſſima.

Ave

Ave MARIA, soror Angelorum pulcherrima.

Ave MARIA, Promissio Prophetarum desideratissima.

Ave MARIA, Regina Patriarcharum gloriosissima.

Ave MARIA, Doctrix Apostolorum prudentissima.

Ave MARIA, Confortatrix Martyrum validissima.

Ave MARIA, Fons & plenitudo Confessorum svavissima.

Ave MARIA, Decus & corona Virginum jucundissima.

Ave MARIA, Salus & consolatrix vivorum & mortuorum promptissima, mecum sis in omnibus tentationibus, tribulationibus, necessitatibus, angustiis, & infirmitatibus meis, & maximè in hora mortis meæ non desis mihi, & impetra mihi omnium

peccatorum meorum veniam, & cælestis Patriæ gloriam, *Amen.*

AVe Sanctissima *MARIA*, Mater DEI, Regina cœli, Porta paradisi, Domina mundi, Tu es singularis Virgo pura. Tu concepisti JESUM sine peccato. Tu peperisti Creatorem & Salvatorem mundi. Ora pro nobis JESUM dilectum Filium tuum, ut liberet nos ab omnibus malis.

ORATIO.

O Domina nostra, Mediatrix nostra, *Advocata* nostra, tuo nos Filio recommenda, tuo Filio nos repræsenta, Fac ô benedicta per gratiam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque inter-

tercedente, participes nos faciat beatitudinis & gloriæ suæ JESUS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia DEus benedictus in sæcula sæculorum. *Amen.*

FORMULA
DEDICANDI SE
B. V. MARIÆ,
SODALIUM.
Immaculatæ
Ejusdem CONCEPTIONIS:
Et felicissimi ex hac vitâ exitûs.

SAncta MARIA Mater DEI & Virgo Immaculata, ego NN. peccator vilissimus, undecunque purissimo conspectu tuo indignissimus, impulsus desiderio

Tibi serviendi, ac fretus pietate Tua singulari, coram Benedicto Filio Tuo, & Curia Cælesti universa dedico me tibi hodie in servum & mancipium perpetuum, in Congregatione Immaculatæ Conceptionis & Felicissimi Transitus Tui, eligoque Te in singularem meam Dominam Matrem, & Advocatam: & firmiter propono me nunquam Te deserturum, sed semper Tuum honorem defensurum, Et præcipuè voveo me semper Tuam Immaculatam Conceptionem & Puritatem illibatam usque ad meam mortem propugnaturum; Te itaque VIRGO Sacrosancta per Sanguinem Unigeniti Filii Tui JESU Christi oro, ut me inter alios Tibi devotos in servum perpetuum admittere digneris

a liis-

adsisque mihi in omnibus neces-
sitatibus meis, & super omnia,
non me deseras in hora mortis
meæ, Amen.

ORATIO
Ad B. V. MARIAM.

TU vero ô Regina Angelorum
ac hominum, possi de me;
ut rem ac possessionem tuam,
aut vile mancipium tuum tua
præpotenti intercessione, à me
mala omnia pelle, bona cuncta
posce. Eligo Te millies in Do-
minam, Patronam, Advocatam
meam, meq; pro tuo honore ze-
laturum semper appromitto, quia
Mater Domini mei es. Benedicta
inter mulieres, celsior Angelis.
Sanctior universis post Christum.
Credo Te Matrem DEI esse, &
Immaculatam Conceptionem tu-

am ac Virginitatem perpetuam tibi gratulor aliaque dona ineffabilia quibus te totam Beata Trinitas præ omnibus creaturis locupletavit, æſtimo ac diligo te ſuper omnia poſt Chriſtum Dominum & tuo me ſervitio æternum addico, omnium affectus & obſequia ſervorum tuorum quæ tibi per orbem exhibentur & exhibita ſunt à me appropriata & approbata tibi offero & omnium cultu tibi debito, tibique in cælis, etiam æternum exhibendo Te proſequor. Gratias inſuper tibi quam maximas poſſum ago, pro beneficiis mihi à te impetratis, & impetrandis. O tota ratio ſpei meæ ne me unquam deſeras nunc & in hora mortis meæ SS. Angeli & SS. Dei intercedite omnes ad Dominam meam & veſtram, *Amen.*

Modus colendi Beatissimam usurpatus à S. Mechtilde pro impetranda felici morte.

Ave Maria.

O Domina mea S. *Maria*; sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit, ita mihi quæso adsis nunc & in hora mortis meæ, expeliendo à me contrariam omnem potestatem.

Ave Maria.

O Domina mea S. *Maria*, sicut Filius Dei tanta te suî cognitione & claritate dignatus est, ut totum cælum illuminares, ita nunc & in hora mortis meæ animam

mam meam cognitione Fidei ſic illuſtres & corrobores, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur.

Ave Maria.

O Domina mea S. Maria, ſicut Spiritus S, ſuum amorem tibi plenè infudit, ita tu nunc & in morte mea dulcedinem amoris Divini inſtilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur ſvaviſſima.

Ave Maria.

S. Gertrudis doctæ à B. V. M. & promittente ſe in exitu animæ apparituram recitanti.

AVe candiſſimum lilium fulgidæ ſemperque tranquillæ Trinitatis Roſaque præfulgida, cælicæ amænitatis, de qua naſci, & de cujus lacte paſci, Rex cælorum voluit

voluit, Divinis influxionibus animas nostras pasce.

Ave Maria.

Actus S. Brigittæ.

BEnedictus sis tu creator omnium, qui in uterum MARIÆ descendere dignatus es.

2. Benedictus sis tu DEUS qui cum MARIA Virgine esse sine gravamine voluisti & de ea Immaculatam carnem sine peccato sumere dignatus es.

3. Benedictus es tu DEus qui ad MARIAM cum gaudio animæ ejus & omnium membrorum venisti, & cum gaudio omnium membrorum ejus sine peccato de ea processisti.

4. Benedictus sis tu DEus qui Mariam Virginem Matrem tuam post Ascensionem tuam crebris

consolationibus lætificasti, & per te ipsum ipsam consolando visitasti.

5. Benedictus sis tu DEus, qui corpus & animam *Mariæ* Virginis *Matris* tuæ in cælum assumpsisti, & supra omnes *Angelos*, juxta Deitatem tuam honorificè collocâsti. *Miserere* mei propter preces ejus.

Novennium Beatissimæ à P. Spinola M. traditum & editum à P. Antonio Spinello. Praxis ex ejus præceptis composita, quæ sicut privilegia titulo Christi in utero portati Beatissimæ collocata recolantur:

I.

BEnedictus sis DEus in sæculum, qui Sanctissimam *Mari*-am

am in veram *Matrem* Verbi Æterni elegisti, da mihi quoque ut tuam voluntatem faciendo, efficiar *Mater* & Frater Christi Domini. *Ave Maria.*

II.

BEnedictus sis tu DEUS in sæcula, qui sanctissimam *Matrem Mariam* simul & Virginem esse voluisti, confer mihi quoque peccatori donum puritatis in anima & corpore. *Ave Maria.*

III.

BEnedictus sis DEUS in sæcula, qui sanctissimam Mariam novem mensibus gravidam sine molestia ponderis imò cum levamine esse voluisti, confer mihi quoque gratiam, quâ jugum tuum Domine nunquam mihi grave videatur, sed suave. *Ave Maria.*

IV.

BEnedictus sis DEUS in sæcula, qui Sanctissimam Mariam sine dolore parere fecisti, da mihi gratiam hilariter tibi serviendi, & servandi mea proposita. *Ave Maria.*

V.

BEnedictus sis tu DEUS in sæcula, qui claustrum uteri virginalis ita honorâsti ut plenitudine gratiæ omnes SS. simul superante repleres, fac me quoq; capacem gratiæ & orna me & dita cælestibus gratiis tuis. *Ave Maria*.

VI.

BEnedictus sis DEus in sæcula, qui SSS. Mariam in tabernaculum vivum; templum tuæ Deitatis sacrificâsti, conserva me ab

ab omni labe purum, quem quoque per baptismum tuum templum fecisti. *Ave Maria.*

VII.

BEnedictus sis DEUS in sæcula, qui SSS. Mariæ uterum tanquam acervum vivum effecisti, ex quo Ecclesiæ tuæ panem vitæ in SSS. Eucharistia dedisti, confer mihi gratiam dignè ut par est sacrificandi. *Ave Maria.*

VIII.

BEnedictus sis tu DEUS, qui Mariam sanctiorem Evam formasti, ex qua nobis vita processit, & illa omnium nostrum Mater est effecta. Suscipe me Mater SS. in tuum Filium, in tuam tutelam, & ab omnibus periculis

animæ & corporis potenter eripe, *Ave Maria.*

IX.

BEnedictus sis DEUS in sæcula, qui SS: Mariæ uterum in paradisum voluptatis cælumq; animatum efformasti, & exinde delicias curiæ cælesti universæ parasti, efforma Domine & animam meam in Paradisum voluptatum eamque ab omnibus spicis & tribulis expurga. *Ave Maria, &c.*

MODUS
RECITANDI ROSARII.

Rosarium est quoddam sertum Mysticum constans Orationibus Dominicis 5. & salutationibus Angelicis 50. repetitis. Ad hæc singulæ decades habent sua Mysteria.

Prima pars 5. habet Mysteria Gaudiosa.

1. Annuntiationem Dominicæ Incarnationis.
2. Visitationem S. Elisabethæ.
3. Nativitatem Christi Domini.
4. Oblationem Christi in templo.
5. Inventionem Pueri JEsu inter Doctores.

Secunda pars 5 continet Mysteria Dolorosa.

1. Sanguineum Christi in horto sudorem.
2. Flagellationem.
3. Spineam Coronationem.
4. Bajulationem Crucis.
5. Crucifixionem.

Tertia pars 5. complectitur Mysteria Gloriosa.

1. Resurrectionem Christi Domini.
2. *A*scensionem ejus in cælos.

3. Adventum Spiritus S. in Beatam V, & Apostolos.
4. Assumptionem B. V. in cælos.
5. Coronationem ejusdem.

IN ROSARIO GAUDIOSO:

Ad decades singulas cum perventum fuerit ad Nomen IESUS adjiciatur.

Ad Quem

1. Virgo concepisti.
2. Virgo Visitando Elisabeth in utero portasti.
3. Virgo genuisti.
4. Virgo in Tēplo præsentasti.
5. Virgo in Templo invenisti.

Post finitam quamlibet Decadem est una Oratio ex sequentibus dicenda.

Post 1. Decies millies Te benedicant Virgo Mater gloriosa Maria, omnes Angeli & Archangeli universiq; cunctæ cælestis Spiritus, cum quibus speramus te aliquan.

liquando videre, colereq; in cælo, Amen.

Post 2. Vicies millies te benedicant Virgo Mater gloriosa Maria, omnes SS. Patriarchæ, Prophetæ, Innocentes, S. Joannes Baptista, & omnes SS. antiqui & novi testamenti, cum quibus speramus te aliquando videre, colereque in cælo, Amen.

Post 3. Tricies millies te benedicant Virgo Mater, gloriosa Maria, omnes SS. Apostoli, Discipuli Domini, Evangelistæ, omnesque gloriosi Martyres, cum quibus, &c.

Post 4. Quadragies millies te benedicant, Virgo Maria, gloriosa Maria omnes SS. Confessores, Episcopi, Doctores, Monachi, Eremitæ, Virgines, Viduæ, Conjugati, cum quibus, &c.

Post 5.

Post 5. Quinquagies millies te benedicant, &c. S. Anna Mater tua, & Mariæ cognatæ tuæ amicissimæq; tibi, Magdalena & Martha, omnes SS. Virgines, Viduæ, Conjugatæ, cum quibus speramus te aliquando videre, colereq; in cælo, *Amen.*

IN ROSARIO DOLOROSO.

Ad decades singulas cum perventum fuerit ad Nomen IESUS adjiciatur.

Ad 1. Qui pro nobis Sangvine sudavit.

2. Qui pro nobis Flagellatus est.

3. Qui pro: nobis Spinis coronatus est

4. Qui pro nobis Crucem bajulavit.

5. Qui pro nobis Crucifixus est.

Post 1. Decies millies te benedicant Virgo Mater gloriosa Maria omnes *Angeli* & Archangeli.

Poſt 2. Vicies millies te benedicant, *ut ſupra.*

IN ROSARIO GLORIOSO.

Ad decades ſingulas cum perventum fuerit ad Nomen IESUS adjiciatur.

1. Qui reſurrexit à mortuis.
2. Qui in Cælum aſcendit.
3. Qui S. Spiritum miſit.
4. Qui Te aſſumpſit in cælum.
5. Qui Te in Cælis coronavit, &c.

Poſt 1. Centies millies te benedicant, Virgo Mater: &c. *ut ſupra.*

Finito Roſario dices aliquam ex Antiphonis pro tempore.

ANTIPHONÆ de BEATA MARIA VIRGINE.

A Dominica prima Adventus usq; ad Purificationem incluſivè.

Alma

ALma Redemptoris Mater, quæ pervia cæli,
Porta manes, & stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat populo: tu quæ genuisti,
Naturâ mirante, tuum sanctum genitorem
Virgo priùs, ac posteriùs, Gabrielis ab ore,
Sumens illud ave, peccatorum miserere.

In Adventu.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ;

℞. Et concepit de Spiritu Sancto.

ORATIO.

GRatiam tuam, quæsumus Domine mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, Per Passionem ejus

&

crucem, ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum, &c.

Post Nativitatem.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. DEI Genitrix intercede pro nobis.

ORATIO.

DEUS, qui salutis æternæ, B. Mariæ Virginitate fœcundâ humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, ℟. Amen.

Post Purificationem usq; ad feriam quintam in Cœna Domini exclusivè.

ANTI-

ANTIPHONA.

AVe Regina Cælorum.
Ave Domina Angelorum,
Salve radix, salve porta,
Ex quâ mundo lux est orta,
Gaude Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa,
Vale ô valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

ORATIO.

COncede misericors DEUS fragilitati nostræ præsidium, ut qui Sanctæ DEI Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum &c.

Tempo

Tempore Paſchali, usq; ad Octavam Pentecoſtes excluſivè.

ANTIPHONA.

REgina Cæli lætare. Alleluja. Quia quem meruiſti portare, Alleluja.

Reſurrexit ſicut dixit, Allel.

Ora pro nobis DEum, Allel.

℣. Gaude & lætare Virgo Maria Alleluia.

℟. Quia ſurrexit Dominus verè, Alleluia.

ORATIO.

DEus qui per reſurrectionem Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti mundum lætificare dignatus es: præſta quæſumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Ab Octava Pentecostes, usque ad Adventum exclusivè.

ANTIPHONA.

SAlve Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve, ad te clamamus exules filii Evæ, ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle: Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et JESUM benedictum Fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O Clemens, ô Pia, ô Dulcis Virgo Maria.

℣. Ora pro nobis S. Dei Genitrix

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam

ut

ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu S. cooperante præparasti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus piâ intercessione ab instantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

HYMNUS.
S Casimiri de B. M. V.

OMni die dic MARIÆ mea
laudes anima:
Ejus festa, ejus gesta cole devotissima.
Contemplare, & mirare, ejus celsitudinem,
Dic felicem Genitricem, dic Beatam Virginem.

Ipſam cole, ut de mole criminum
te liberet.
Hanc appella ne procella vitio-
rum ſuperet.
Hæc Perſona, nobis dona contulit
cæleſtia:
Hæc Regina nos Divinâ illu-
ſtravit gratiâ.
Lingua mea dic trophæa Virgi-
nis puerperæ,
Quæ inflictum maledictum mi-
ro transfert germine.
Sine fine dic Reginæ mundi lau-
dum cantica.
Ejus bona ſemper ſona ſem-
per illa prædica.
Omnes mei ſenſus ei perſonate
gloriam,
Frequentate tam Beatæ Virgi-
nis memoriam:
Nullus certe tam diſertæ exſtat
eloquentiæ.
Qui

Qui condignos promat hymnos ejus excellentiæ.
Omnes laudent unde gaudent, Matrem DEI Virginem.
Nullus fingat, quod attingat ejus celsitudinem.
Sed necesse quod prodesse, piis constat mentibus.
Ut intendam, quod impendam me ipsius laudibus,
Quamvis sciam, quod Mariam nemo digne prædicet,
Tamen vanus & insanus est, qui illam reticet.
Cujus vita erudita disciplina cælica.
Argumenta, & figmenta destruxit hæretica.
Hujus mores, tanquam flores exornant Ecclesiam.
Actiones & sermones, miram præstant gratiam.

Evæ crimen, nobis limen Paradisi clauserat,
Hæc dum credit, & obedit cæli claustra reserat,
Propter Evam homo sævam accepit sententiam,
Per Mariam habet viam, quæ ducit ad Patriam,
Hæc amanda & laudanda cunctis specialiter.
Venerari, prædicari eam decet jugiter.
Ipsa donet, ut quod monet Natus ejus, faciam.
Ut finitâ carnis vitâ, lætus hunc aspiciam.

EXER-

EXERCITIUM OCTAVUM.

Erga
SANCTOS ANGELOS
OFFICIUM
S. MICHAELIS
ARCHANGELI.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies.

Et os meum annuntiabit laudem tuam.

DEus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

TE ſplendor & virtus Patris,
Te vita JESU cordium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudamus inter Angelos.

ANTIPHONA.

Princeps glorioſiſſime S. Michàël Archangele, eſto memor noſtri hic & ubique ſemper precare pro nobis Filium Dei:

℣. S. Michàël Archangele veni in adjutorium populo Dei.

℟. Sta in auxilium pro animabus juſtis.

ORATIO.

BEati Michàëlis Archangeli tui, quæſumus Domine intercesſio glorioſa nos ſemper protegat, & ad vitam perducat æternam. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, &c.

Domi-

Domine exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace, Am.

AD PRIMAM.

DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

TIbi mille denſa millium,
Duci corona millitat.
Sed explicat victor crucem,
Michaël ſalutis ſignifer.

Antiph: Verſus & Oratio ut ſupra.

AD TERTIAM.

DEus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

DRaconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducemq; cum rebellibus
Cæleſti arce fulminat.

Antiph. Versus & Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

EXurge Princeps inclyte,
Compesce gentes perfidas,
Quæ nil nisi merum crepant
Ferrum, cruorem, vulnera.

Antiph: Versus & Oratio ut supra.

AD NONAM.

DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

COnsume semen impium,
Semen piorum protege,
Ut norit orbis ultimus,
DEum bonorum vindicem.

Antiph. Versus & Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

DEus in adjutorium, &c.
Domine ad adjuvandum, &c.

Gloria

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

COntra Ducem superbiæ,
Nos te sequamur Principem
Ut detur ex agni throno,
Nobis corona gloriæ.

Antiph. Versus & Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos Deus Salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
DEus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum, &c,
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

REgis supremi milites,
Adeste tot periculis.
Ab hostium potentia,
Christi gregem defendite.

Antiph. Versus & Oratio ut supra

COMMENDATIO.

SUmmo Parenti Clientum,
Magnæq; Prolis Virginis,
Sancto simul Paraclito,
Sit summa laus, & gloria, Amen.

ORATIO.

Ad S. Michaëlem Archangelum.

SUmmæ sedis Minister: Princeps militiæ cœlestis, & signifer Curiæ supernorum, Sancte Michaël Angele piissime, Archangele placidissime: tibi corpus & animam, tota intentione tuendam committo, tibi specialiter post *Deum*, & *Dei* Genitricem vitæ & mortis meæ curam commendo te hodie & quotidie, in præsentia totius cœlestis curiæ, pro singulari Patrono, Protectore & Advocato meo eligo. Obsecro igitur

tur te, per gloriam illam, quâ in cælo jam frueris, ut hoc propositum meum, & sincerum hunc affectum erga te meum gratum habeas. O serve DEI excelsi, S. Michàél, adesto mihi nunc & semper, at maximè in fine vitæ meæ, ipsum obitum attentiùs tibi commendo: benignè me tunc consolare conforta, & protege. Impetra mihi plenam omnium peccatorum meorum veniam, veram & profundam humilitatem, & alias virtutes omnes. Effice tuis gloriosis precibus & meritis, ut anima mea tota munda hinc exeat. Insuper rogo te, ut in novissimo die benignè suscipias animam meam, in sinu tuo sanctissimo, & eam comitantibus Angelo custode meo, & Angelis tuis, ad re-

quiem sempiternam, cum exultatione perducas, Amen.

ORATIO.

S. Michaëli gratissima, sicut ipse cuidam Episcopo apparens asseruit.

PRinceps gloriosissime Michaël. Dux cœlestium exercituum, susceptor animarum, debellator malorum spirituum. Ecclesiæ DEI, post Christum admirabilis grandis excellentiæ & virtutis Rector, omnes nos clamantes ad te ab omni libera adversitate, & in omni cultu DEI facias proficere tuo pretiosissimo officio, & dignissimâ prece.

℣. Ora pro nobis Sancte Michaël
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui saluti humanæ na-

turæ, ex ſumma clementia tua glorioſum Michaëlem Archangelum, mirabiliter deputaſti, concede propitius, ut ejus ſalutari ſubſidio hic mereamur ab omnibus hoſtibus defendi efficaciſſimè & in obitu noſtro ab omni tentatione liberari, tuæ excelſæ Majeſtati beatificè per eum præſentari. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

OFFICIUM S. ANGELI Cuſtodis.

AD MATVTINVM.

Sancte Angele DEI, qui cuſtos es mei, ora pro me.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium, &c.

℟. Domine ad adjuvandum &c.

Gloria Patri &c.

HYMNUS.

NOvo lucis exordio,
O Custos mi dulcissime,
Cæcam mentis caliginem,
Tuo splendore discute.
Et me, divina monita,
Benignus semper edoce.

Antiph. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem præparavi, observa eum, & audi vocem ejus.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi *Deus* meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo *Domine*.

ORATIO.

DEus, qui ineffabili providentia Sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris; largire supplicibus tuis,

&

& eorum semper protectione defendi & æterna societate gaudere Per *Dominum*, &c.

AD PRIMAM.

Sancte Angele *Dei*, qui Custos es mei, ora pro me.

*D*Eus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

MEas preces & lacrymas,
Educe è cælo nuntius,
Quamvis indignas excipe.
Et summo Patri tradito:
Culpisque meis debitas,
Supplex pœnas avertito.

Antiph. *Data* sunt ei incensa multa ut adoleret ea ante altare aureum & ascendit fumus aromatum de manu Angeli in conspectu *Domini*.

Versus & Oratio ut supra.

AD TERTIAM.

San-

Sancte Angele Dei, qui Custos es mei, ora pro me.

HYMNUS.

AFflictum clementissime,
Favore tuo recrea,
Ad virtutis officia,
Semisopitum excita.
Cùm sancto mens in opere
Nutârit, promptus adjuva.

Antiph, Reversus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me, quasi virum, qui suscitatur de somno suo.

Versus & Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

Sancte Angele Dei, qui Custos es mei, ora pro me.

DEus in adjutorium &c.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

DIssolve mentis glaciem,
Frange cordis duritiem,

Peccati oppressum onere,
Præsenti manu subleva,
A Cæli errantem semita,
Ad cæli viam revoca.

Antiph. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Versus & Oratio ut supra.

AD NONAM.

Sancte Angele Dei, *ut supra.*

DEus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

INvictâ tuâ dexterâ,
Contunde vices Dæmonis:
Carnis retunde fomitem:
Mundique fraudes detege,
Ut tuo sub præsidio,
Victor ab hoste redeam.

Antiph. Benedictus Deus meus qui

qui misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.

Versus & Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

Sancte Angele Dei, &c. *ut supra.*
DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

FLagello pigrum excita,
Et reluctantem increpa;
Vitæ labentis terminum,
In mentem sæpe revoca,
In vitæ brevi spatio.
Solertiorem facito.

Antiph. Et nunc Domine dominator cælorum; mitte Angelum Sanctum tuum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachii tui.

Versus & Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

San-

Sancte Angele Dei, qui Custos es mei, ora pro me.

Cõverte nos Deus salutaris noster.

Et averte iram tuam à nobis.

DEus in adjotorium, &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

IN pugna mortis ultima,
Adsis mihi fortissime.
Peractâ demum fragili,
Vitâ, ductor amabilis,
Me protinus æthereis,
Infer benigne sedibus.

Antiph. Vivit Dominus quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, inde huc revertentem, & non permisit me Dominus coinquinari.

Versus & Oratio ut supra.

COMMENDATIO.

HAs horas canonicas cum devotione,

Tibi

Tibi Christe offerimus piâ ratione,
Ut Custodis Angeli intercessione
Sit nobis solatium mortis in agone, Amen.

ORATIO.

Ad S. Angelum Custodem.

OBsecro te Angelice Spiritus, cui ego indignus peccator ad providendum commissus sum, ut indesinenter protegas, defendas, mundes, munias me ab omni incursu Diaboli, vigilantem, dormientem, ac ubicunque fuero. Repelle à me per virtutem S, Crucis omnem tentationem sathanæ, & quod mea non exigunt merita tuis precibus obtine apud altissimum Judicem, ut nihil in me habeat. Cumque per abrupta vitiorum me devas-

se

se videris, per semitas justitiæ ad Salvatorem meum reducere me satagas. Et in quacunque tribulatione vel angustia me esse perspexeris, auxilium Dei Omnipotentis tuo obtentu & precamine mihi adesse sentiam. Precor te, mi Custos, si fieri potest, notum mihi facias finem meum, diemq; obitus mei. Et cum de corpore eductus fuero, non permittas me à maligno Spiritu terreri, neque in foveam desperationis deduci. Non dimittas me Angelice Spiritus, donec ad visionem ipsius Conditoris mei perducas me: ubi simul ego pro opere, & tu pro custodia unà cum Beatissima DEI Genitrice MARIA, & omnibus Sanctis Domino adjuvante, lætemur.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini. ℟.

℟. Propterea decorem induit te DEus.

ORATIO.

OMnipotens & miſericors DEus, qui hominem ad imaginem tuam formâſti, & ei Angelum & corporis & animæ cuſtodem tribuiſti, concede propitius, Angelo mihi deputato tantum honorem impendere, ut me tuâ protectione vivificet, & defendat ab omni incurſione diaboli, vigilantem, dormientem, orantem, ac divinis officiis tibi ſervientem, omnibus horis ac momentis, nec non in hora deceſſionis meæ angelos malos à me repellat, bonosque mihi aſſociet, & animam meam ad te (qui verè paradiſus es) feliciter perducat. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Amen.

QUIN-

QUINQUE PROTESTATIONES
SANCTI CAROLI BORROMÆI,
Pro felici Morte.

Protestatio I.

IN Nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Ego infelix & miser peccator N. Protestor in præsentia tua, ô Angele DEI, assignate mihi à Divina Majestate pro Ductore, cum primum natus sum, velle & desiderare me mori in ea sola, vera & Catholica Fide, quam sancta Romana & Apostolica tenet, & profitetur Ecclesia, & in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt unquam, uspiam mortui sunt: nec desidero diutius vivere quam placeat DEO meo, cui omnem meam voluntatem integrè, & ex toto subjicio.

Pro-

Protestatio II.

PRotestor etiam, ô Angele Dei, desiderare & velle me sub tua sancta custodia ac protectione discedere ex hac vita, cum spe divinæ misericordiæ, sine ulla titubatione in fide, non obstante quantumq; multitudine & gravitate peccatorum meorum: certo sciens, ac firmissime credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi Sangvinis Domini nostri JESU Christi, sufficientem futuram fuisse, non solum ut me salvaret sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos; si ita placitum fuisset Divinæ suæ Majestati.

Protestatio III.

SImiliter protestor ô Angele Sancte, petere me ex intimo corde, participem fieri misericor-

liæ Redemptoris, & Domini mei JESU, remissionemque omnium peccatorum meorum consequi: sciens, quod ipse eam nulli peccatori quantumvis gravi & abominabili, neget, ritè contrito & confesso, idque per & propter merita amarissimæ suæ passionis, & mortis, & virtutem pretiosissimi Sangvinis sui pro me indignissimo in ligno Crucis copiosè effusi, per merita demum Sanctissimæ Matris suæ Virginisque MARIÆ & omnium Sanctorum, & Angelorum.

Protestatio IV.

ITerum protestor, sanctissime mi Custos supplicare me Divinæ pietati, ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædestinavit in suam gloriam: etiamsi oporteret me

pari ob peccata mea in purgatorio ad novissimum usque judicii diem dummodo tandem per ipsius infinitam misericordiam, consequar vitam æternam.

Protestatio ultima.

SAnctissime & vigilantissime Custos, protestor demum constituere me te Procuratorem Testamenti, ultimæque voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi à Domino meo JESU, tres gratias. Prima est, ut mihi donet unum solum lacrymosum suspirium, ex infinitis illis, quæ habuit ipse, dum per tres horas vivus fuit in Cruce, quorum efficaciâ & virtute mitigentur lacrymabiles illi singultus, cordisque pressuræ & angustiæ, quibus in hora mortis affligar. Et ut gloriosissima Mater DEI MARIA digne-

ut me vel unico etiam aſpectu, ex is, quos ipſa ſub Cruce ſtans habuit, de figendo in unicum Filium ſuum virgineos oculos; ſuſcipiendo me in eorum numerum, qui ejus precibus & meritis in die judicii obtinebunt ſalutem & vitam ſempiternam. Altera gratia eſt, ut tu, fidiſſime Cuſtos meus, in illa potiſſimum hora mihi ſuccurras, quando anima mea ſeparabitur à corpore meo, ut inveniam benignum Judicem, merito flagrantiſſimæ illius charitatis, quâ paternum ipſius pectus in Cruce fuit inflammatum pro ſalute peccatorum. Ultima demùm gratia eſt, ut tu idem piiſſime Cuſtos meus animam meam tibi habeas commendatam, eamque de ergaſtulo corporis egreſſam dexteræ tuæ potentiâ Redemptori meo

offeras, ut eum unà tecum & Sanctis omnibus in cœli gaudiis videam, perfectè amem; eoque æternaliter fruar, cui sit laus, honor & gloria in omnem æternitatem, Amen.

Commendatio ac Protestatio ad S. Angelum Custodem, manè quotidie facienda,

BEatissime mi Angele Custos, ego quamvis tuâ sacrâ custodiâ indignissimus, impulsus tamen eximiâ charitate tuâ, & zelo illo, quem habes erga salutem animæ meæ: eligo Te hodie in præsentia totius curiæ cælestis, pro singulari Protectore & Advocato meo, firmiterque propono tibi ad mortem usque fideliter semper obedire. Obsecro te igitur per gloriam illam, quâ in cælo jam frueris, ut acceptes hoc pro-

propositum meum, & gratum habeas sincerum hunc affectum erga te meum: adsis mihi in omnibus actionibus meis, gratiamque impetres à tuo & meo Domino, ita me gerendi in omnibus cogitationibus, verbis, & operibus meis, ut purissimos oculos tuos nunquam offendam, neque divinam Majestatem ad justam contra me iram accendam. Adsis mihi semper, nec deseras me in hora mortis meæ. Amen.

Corolla, sive Rosarium S. Angeli Custodis, sic recitare potest.

AD globulos majores dicatur *Pater noster*: ad minores, *hæc Oratio*, Angele DEI, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate supernâ, hodie, & in hora mortis meæ illumina, custodi, rege, & guberna, Amen.

LITANIÆ
Ad SS. ANGELOS.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEUS, Miſerere
Sancta Trinitas unus DEus, Miſere
Sancte Michàël, Ora.
Sancte Gabriel, Ora.
Sancte Raphàël, Ora.
Sancte Angele Cuſtos, Ora.
Sancti Seraphim, Orate.
Sancti Cherubim, Orate.
Sancti Throni, Orate.
Sancti Dominationes, Orate.
Sancti Virtutes, Orate.
San-

Sancti Potestates,
Sancti Principatus,
Sancti Archangeli,
Sancti Angeli,
Qui super DEI solium excelsum & elevatum statis,
Qui jugiter DEO Sanctus, Sanctus, Sanctus concinitis,
Qui discussis tenebris mentem nostram illuminatis,
Qui divina hominibus nunciatis,
Qui hominum custodiam à DEO accepistis,
Qui semper faciem Patris, qui in cælis est, videtis.
Qui super uno peccatore pœnitentiam agente gaudetis,
Qui Loth de medio peccatorum eduxistis,
Qui per scalam Jacob ascendistis & descendistis,

Orate pro nobis.

Qui in monte Sina divinam le-
gem Moyſi tradidiſtis,
Qui Chriſto nato, gaudium ho-
minibus annuntiâſtis,
Qui Chriſto in deſerto mini-
ſtrâſtis.
Qui Lazarum in ſinum Abrahæ
deportâſtis,
Qui juxta Chriſti ſepulchrum
in albis ſediſtis,
Qui Chriſto in cœlum aſcen-
dente ejus diſcipulis appa-
ruiſtis,
Qui Chriſtum ad judicium
venturum cum ſigno Cru-
cis præcedetis,
Qui Electos in fine ſæculi con-
gregaturi eſtis,
Qui malos de medio Juſtorum
ſeparabitis,
Qui orantium preces ad Deum
defertis,

Orate pro nobis.

Qui

Qui morientibus aſſiſtitis,
Qui animas juſtorum ab omni labe purgatas ad cælum deducitis,
Qui prodigia & miracula virtute DEI perpetraris,
Qui hæreditatem ſalutis capientibus in miniſterium mittimini,
Qui ſuper Regna & Provincias conſtituti eſtis,
Qui hoſtium exercitus ſæpe diſſipâſtis,
Qui DEI famulos ex carceribus, & aliis vitæ periculis ſæpe liberâſtis,
Qui Sanctis Martyribus in tormentis ſæpe ſolatio fuiſtis.
Qui Eccleſiæ Prælatos & Principes ejusdem nutritios, peculiari curâ fovere ſoletis,

Orate pro nobis.

Om-

Omnes Sancti Beatorum spirituum ordines, Orate pro.
A cunctis periculis per sanctos Angelos tuos, Libera nos D.
Ab insidiis diaboli, Libera.
Ab omni hæresi & schismate; Libera nos Domine.
A peste, fame & bello, Libera.
A subitanea & improvisa morte, Libera nos Domine.
A morte perpetua, Libera.
Per Sanctos Angelos tuos, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus.
Ut nobis indulgeas, Te rog:
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare digneris. Te rogamus audi nos.
Ut domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos Ordines protegere digneris. Te rogamus audi nos.

Ut Imperatori nostro N. Regibus & omnibus Principibus Christianis pacem & unitatem largiri digneris,

Ut fructus terræ dare, & conservare digneris,

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris; Te rogamus &c.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus DEI &c, Exaudi nos Dñe.

Agnus DEI &c. Miserere nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster &c.

℣. Laudate Dominum omnes Angeli ejus.

℟. Laudate eum omnes virtutes ejus.

℣. Benedicite Domino omnes virtutes ejus.

℟. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. ℣. An-

℣. Angelis suis DEus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

BEati Archangeli tui Michaëlis commemoratione lætantes, supplices te Domine deprecamur, ut, quod nostris meritis non valeamus, ejus intercessione consequamur.

GRatiam tuam quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo Gabriele nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur.

DEus, qui per Angelum Raphaë-

phàélem, utrumque Tobiam in cunctis periculis liberâsti, præsta quæsumus: ut eodem pro nobis intercedente angelico suffragio ab omnibus nos mentis, & corporis hostibus tuearis, & ad patriam perducas æternam.

OMnipotens & misericors DEus, qui nos Angelicâ custodiâ munire dignatus es, concede quæsumus: ut tantâ perfectione securi, & à pravis cogitationibus liberemur in mente, & ab omnibus adversitatibus eruamur in corpore.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas concede propitius ut à quibus, Tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum &c.

℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino.
℟. DEO gratias.
℣. Et fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace.
℟. Amen.

(* *)

EXERCITIUM NONUM.

Erga Sanctum Josephum.

OFFICIUM PARVUM DE S. JOSEPHO. Beatæ Virginis Sponso.

AD MATUTINUM.

JESUS, MARIA, JOSEPH,

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laucem tuam,

℣. DEUS in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Glo-

Gloria Patri &c. Alleluja vel Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

JOseph David filius, clarâ stirpe natus,
JESU Christi Domini Pater nuncupatus,
Mariæ DEI Sponsus cœlitus vocatus,
Utriusque Custos cælo destinatus.

Antiph. Salve Patriarcharum decus, & Ecclesiæ sanctæ DEI œconomus, cui panem vitæ & frumentum Electorum conservasti.

℣. Ora pro nobis beatissime Joseph,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

SAnctissimæ Genitricis Tuæ Spon-

Sponsi, quæsumus Domine meritis adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs S. DEus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut suprà in Matutino.*

HYMNUS.

TU, qui Sponsam gravidam dolens cum videres.
Cogitabas anxius an eam retineres.
Sed cœlestis monitor, ne ampliùs timeres,
In somnis admonuit, ut potiùs gauderes.

Antiph. Salve Patriarcharum &c.
Vers. Orat. ut suprà.

AD

AD TERTIAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Deus in adiutorium &c. *ut ſuprà in Matutino.*

HYMNUS.

BEthlehem es profectus, cenſum ſoluturus,
Cum prægnante Virgine, ubi naſciturus.
Erat mundi Dominus, quique mox facturus,
Ut ipſum Infantulum eſſes amplexurus.

Ant. Salve Patriarcharum &c.
Vers. Oratio ut ſuprà.

AD SEXTAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Domina in adjutorium &c. *ut ſuprà in Matutino.*

HYMNUS.

CUm Herodes impius in pueros ſæviret,

Ga-

Gabrielis monitu, ne ampliùs dormires.
Relulisti Sponsæ, ut tecum veniret,
Et accepto Parvulo in Ægyptum iret.

Ant. Salve Patriarcharum decus & Ecclesiæ &c.

Vers. *Oratio ùt suprà.*

AD NONAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

HOstibus jam defunctis inde recessisti,
Et in Galilæam tecum reduxisti,
Puerum & Sponsam, sicut didicisti
Cœlitus & in Nazareth humilis vixisti.

Ant. Salve Patriarcharum &c.

Vers. *Oratio ut suprà.*

AD

AD VESPERAS.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

O Qui JESUM factum duodecim annorum
Perdidiſti tuum lumen oculorum
Sed inventum poſtea in medio Doctorum,
Cuſtodiſti ſedulus, Regem Angelorum,

Ant. Salve Patriarcharum &c.

Vers. Oratio ut ſuprà.

AD COMPLETORIUM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Converte nos DEus ſalutaris noſter.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

FElix, quem in ulnis JESUS cum MARIA.

Te-

Tenuit cubantem dum in agonia,
Spiritum efflares, ut directâ viâ.
Tenderes ad Patres, functus vitâ piâ.

Ant. Salve Patriarcharum &c.

Versus Oratio ut suprà.

COMMENDATIO.

HAs horas Canonicas cum attentione,
Dixi, Sancte Joseph, Tui ratione.
Ut sis membr mei in oratione,
Et vivamus simul in cæli regione, Amen.

HYMNODIA.

De S. JOSEPHO.

I.

SAlve Pater Salvatoris,
Salve Custos Redemptoris,
Joseph ter amabilis.
Salve Sponse Matris DEI,
Salve hospes JESU mei,

Jo-

Joſeph ter amabilis,

2.

Dulces cunæ, dulces panni,
Dulces dies, dulces anni,
Dum nutriſti Dominum.
O quàm fuit admiranda,
Tua vita veneranda,
Habens DEI Filium.

3.

JESUM oculis vidiſti,
Et in brachiis tuliſti,
O ſvavis felicitas!
Genis genas admoviſti,
Oſcula dans accepiſti.
O felix ſvavitas.

4.

Modò DEUM appellâſti,
Modò Regem nominâſti,
Inter mille gaudia:
Modó Patrem adorandum,
Modo natum adamandum,
Inter mille baſia.

5.

JESUM brachiis tenere.
Atque totum poſſidere;
O quantæ divitiæ!
Cum MARIA converſari,
DEI natum amplexari,
O quantæ deliciæ.

6.

Quis eſt homo, qui amare,
Atque JESULUM portare
Nollet ſuis brachiis!
Nullus eſt, qui non ambiret.
Et qui cunas non adiret.
Pro tantis deliciis.

7.

O mi Joſeph plùs amande,
Et præ cunctis honorande,
O flos pudicitiæ!
Tibi tanta ſors eſt data.
Quanta nulli aſt collata
Ab Auctore gratiæ.

8.

O felicem & beatam,
Custodiri cui est datum
Tuo sub præsidio:
Et qui meruit habere
Te Patronum & gaudere
Tuo Patrocinio.

9.

Per MARIÆ Tuæ Matris,
Preces & Josephi Patris:
JESU Tu nos adjuva,
Ut possimus Te videre,
Et æternum possidere
In cælesti Patria, *Amen.*

℣. Valde honorandus & amandus est B. Josephus.

℟. Inter cujus brachia Dominus recubuit.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui B. JOSEPHUM justum, filium David, Beatissimæ Vir-

Virgini MARIÆ Sponsum providisti & Filio Tuo JESU Christo Nutritium elegisti: da quæsumus, ut ejus precibus, & meritis tranquillâ pace lætemur, & ad perpetuæ visionis Tuæ consolationem perducamur. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

LITANIÆ
De S. JOSEPHO.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos,
Pater de cælis DEus, miserere nobis,
Fili Redemptor mundi DEUS,
Miserere nobis.

O Spiri-

Spiritus Sancte DEus, miserere
Sancta Trinitas unus DEus Misererere nobis.
Sancta MARIA Regina totius mundi,
S. Joseph B. Virginis Sponse,
S. Joseph in ventre Matris justificate,
S. Joseph à peccato mortali immunis facte,
S. Joseph Patriarcharum culmen,
S. Joseph inter omnes in Virginis connubium electe,
S. Joseph ineffabili benedictione donate,
S. Joseph, cui Regina Cœli ministravit,
S. Joseph Christi Pater vocate,
S. Joseph Christi tutor amantissime,

Ora pro nobis.

S. Joseph Christi Nutritie fidelissime,
S. Joseph Christi pueri post Virginem adorator prime,
S. Joseph, qui Christum ab Herode liberâsti,
S. Joseph, qui Virginem traducere noluisti,
S. Joseph, Christo & Matri simillime,
S. Joseph Spiritûs S. donis abundantissime,
S. Joseph Vir Angelice,
S. Joseph; qui monitione Custodis Angeli in Christo curam exercuisti,
S. Joseph, qui ut Angelus divina oracula retulisti,
S. Joseph, qui ut principatus Christum magni Consilii Angelum gubernâsti,
S. Joseph, qui ut virtutis minister

Ora pro nobis.

nister Christi fuisti, Ora pro nobis.

S. Joseph dominationibus major, cui Rex & Regina cælorum serviunt,

S. Joseph, in cujus brachiis, & gremio tanquam in throno Christus insedit,

S. Joseph, qui ut Cherubim Virginis paradisi custodiam habuisti,

S. Joseph Vir Seraphice,

S: Joseph contemplator altissime,

S. Joseph inter brachia Christi defuncte,

S. Joseph Angelici concentûs auditor,

S. Joseph ad limbum Patrum Christi præcursor,

S. Joseph, qui cum Christo inter alios resurrexisti.

Ora pro nobis.

S. Jo-

S. Joseph, qui corpore & anima peculiaribus gloriæ donis frueris, Ora pro nobis.

S. Joseph patrone & defensor noster dulcissime, Ora pro nobis.

Per passionem dulcissimi Filii Tui, Exaudi populum tuum Domine.

Per Virginitatem dilectæ Matris Filii Tui, Salvum fac populum Tuum Domine.

Per fidelitatem Sponsi Joseph, Protege populum tuum Domine.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster qui es in &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos à malo.

Antiph. Hic vir despiciens mundum

dum, & terrena, triumphans, divitias cælo condidit ore manu,

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO

OMnipotens, & mitissime DEus, qui Beatum Joseph justum Filium David, beatæ MARIÆ Virgini, Tuæ Matri Sponsum providisti, & Filio Tuo Nutritium elegisti, da quæsumus, ut ejus precibus & meritis, Ecclesia Tua tranquillâ pace lætetur, & ad perpetuæ visionis Tuæ consolationẽ perducatur. Qui vivis &c.

℣. Ora pro nobis Beatissime Joseph:

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

VIrginum Custos & Pater sancte

cte Josephe, cujus fideli custodiæ, ipsa innocentia Christus JESUS & Virgo Virginum MARIA in terris commissa fuit, Te per utrumque charissimum pignus Tuum JESUM & MARIAM obsecro, & obtestor, ut me ab omni immunditia præservatum mente intaminatâ, puro corde, & casto corpore, JESU & MARIÆ se-per facias castissimè famulari. *A.*

Alia pro Animi & corporis puritate conservanda.

O Sanctissime Josephe, Nutritie JEsu Christi, ego humillimus cliens Tuus animi & corporis mei castitatem singulariter tibi commendo: & rogo Te per paternam in JESU custodiam & puritatem tuam, ut me eidem JESU Christo Filio Tuo & Agno immaculato, ejusdemque vigilan-

rissimæ Matri, immaculatissimæq; virginum Virgini MARIÆ commendare digneris, & ab omni graviore peccato custodire. Ne permittas me ullâ unquam impuritatis labe fœdari: sed cum primùm in tentatione & peccandi periculo constitutum me videbis, abige procul â corde meo cogitationes, & affectus omnes immundos, & injectâ memoriâ æternitatis & Christi Crucifixi, imprime mihi medullitus, ô mi Joseph, sensum timoris Domini, & divini amoris in me ignem accende, Amen.

EXER-

EXERCITIUM DECIMUM.

Erga Sanctum IGNATIUM.

Vita S. IGNATII.

IGnatius natione Hispanus, Nobili genere, Loiolæ in Cantabria natus, primo Catholici Regis aulam, deinde militiam secutus est. In propugnatione Pampelonensi accepto vulnere graviter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione, ad Christi Sanctorumq; sectandane vestigia mirabiliter exarsit. Ad Montem Serratum profectus, ante

Aram Beatæ Virginis suspensis armis noctem excubans, sacræ militiæ tyrocinium posuit. Inde, ut erat indutus sacco, traditis antea mendicis pretiosis vestibus, Manresam secessit: Ubi emendicato pane & aqua victitans, exceptisque diebus Dominicis jejunans, aspere catenâ ciliciog; carnem domans, humi cubans, & ferreis se flagellis cruentans per annum commoratus est: claris adeo illustrationibus à DEO recreatus, ut postea dicere solitus sit; Si sacræ literæ non extarent, se tamen pro fide mori paratum ex iis solùm, quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus. Quo tempore homo literarum planè rudis, admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicioq; & omnium utilitate comprobatum. Ut verò se ad animarum lucra ritè formaret, sub-

sidium

dium literarum à Grammatica inter pueros exorsus, adhibere statuit. Cumque nihil interim omitteret de studio alienæ salutis, mirum est quas ubique locorum ærumnas ac ludibria devoraverit, asperrima quæque & vincula, & verbera penè ad mortem usque perpessus: quibus tamen longè plura pro Domini sui gloria semper expetebat. Lutetiæ Parisiorum adjunctis sibi ex illa Academia variarum Nationum sociis novem, qui omnes Artium magisteriis, & Theologiæ gradibus insignes erant ibidem in Monte Martyrum prima Ordinis fundamenta jecit: quem postea Romæ instituens, ad tria consueta, quarto addito de Missionibus voto, Sedi Apostolicæ arctiùs adstrinxit: & Paulus Tertius primò recepit, confirmavitque: mox alii Pontifices ac Tridentina Synodus probave-

bavere. Ipse autem misso ad prædicandum Indis Evangelium Sancto Francisco Xaverio, aliisq; in alias mundi plagas ad Religionem propagandam disseminatis ethnicæ superstitioni hæresique bellum indixit, eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, DEUM sicut alios aliis temporibus sanctos viros, itâ Luthero, ejusdemq; temporis hæreticis, Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecisse. Sed in primis inter Catholicos instaurare pietatem curæ fuit. Templorum nitor, Catechismi traditio, Concionum ac Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accepêre. Ipse apertis ubique locorum ad juventutem erudiendam in literis ac pietate Gymnasiis; erectis Romæ Germanorum collegio: male

nupta-

nuptarum & periclitantium puellarum cœnobiis : utriusq; sexus tam Orphanorum quàm Catechumenorum domibus, aliisque pietatis operibus, indefessus lucrandis DEO animis instabat; auditus aliquando dicere; Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim DEO inservire, & proximorum saluti, quàm certum ejusdem gloriæ statim mori. In dæmones mirum exercuit imperium. Vultum ejus cœlesti luce radiantem sanctus Philippus Nerius aliique conspexêre. Denique ætatis anno sexagesimo quinto ad Domini sui amplexum, cujus Majorem Gloriam in ore semper habuerat, semper in omnibus quæsierat, emigravit. Quem Gregorius XV. magnis in Ecclesiam meritis & miraculis illustrem, Sanctorum fastis adscripsit.

OFFICIUM S. P. IGNATII.

Præparatio.

MEdulla mentis intima,
Ad astra tolle sensum,
Svetum per alma Cantica,
De more solve pensum:
Ignatianis æstibus,
Amore, corde, zelo,
Castissimis affectibus,
Affige vota cælo.
Sordescat orbis infimus,
Mundique mille fraudes,
Solus DEus sit optimus
Bonum, quod usque laudet.
Adesto Sancte Spiritus,
Adesto concinenti.
Opem fer, oro cælitus,
Ignatii Clienti.

AD MATVTINVM.

DEus in adjutorium meum in-
tende.
Domine ad adjuvandum me fe-
ſtina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

AB arte miles bellica,
Mundique ſpe doloſa,
Ab æde Patris Aulica,
Vitâque glorioſa,
Ad arma tranſit Numinis
Ignatius repente:
Virtute ſancti luminis
Cor cœlitus movente,
Ah! non mihi ſpes ludicra
Sic captet ulla mentem,
Ut nulla me vox cœlica
Surdum trahat Clientem,
Sed, ut parato pectore
Celer ſequar vocantem.

Lojola quovis tempore
Pro me roga Tonantem,
Ego in Domino gaudebo.
Et exultabo in Deo JEſu meo.

OREMUS.

DEus, qui ad majorem Nominis tui Gloriam propagandam, novo per Sanctum Ignatium ſubſidio, militantem Eccleſiam roboraſti; concede, ut ejus auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cum ipſo mereamur in cælis. Per Dominum noſtrum &c

AD LAUDES.

DEus in adjutorium, &c.
Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

VEſtem Peroſus ſplendidam
Lojola fert lacernam:
Vitamque ducit abditam.

In-

Intra petræ cavernam,
Corpus per abstinentiam,
Per flagra, per catenas,
Mentemque vexat anxiam
Per mille sponte pœnas,
Orando noctes exigit,
Ducit dies precando,
Virile robur prodigit,
Vivit stipem rogando
Lojola carnis obtine,
Nos esse semper hostes:
JEsumque pro tutamine
Ad cordis esse postes.
Ego autem in Domino gaudebo,
Et exultabo in DEO JEsu meo.

Oratio ut supra.

AD PRIMAM.

℣. DEus in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

CÆlestibus dulcoribus,

Igna-

Ignatii dolores.
Et melleis amoribus,
Miſcet DEus labores
Quando creatur raptibus
Demergitur profundis :
Ah ! rapta mens quàm dulcibus
Tum colliqueſcit undis :
Ah ! inquit, ut te noſcerent
Humana corda Numen !
Quam vana mox ſordeſcerent
Ad te cuncta, ô lumen !
Guſtum DEus cæleſtium,
Solatiumque verum.
Cum nauſea terreſtrium,
Da nos habere rerum.
Ego autem in Domino, &c.
Oratio ut ſupra.

AD TERTIAM.

DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

UT Spiritus dulcedinem.

Virtutis decorem,
Noxæque turpitudinem
Et Numinis timorem,
Ut ſenſa poſthac cœlica,
Doctâ doceret arte.
Vir vadit ad ſcholaſtica
Diſcenda ſigna chartæ;
A parvula, ceu puſio,
Ætate vellicatur,
Ad flagra cum ludibrio
Pariſiis vocatur.
Lojola Dive, ſupplicem
Audi precor clientem
Fac artibus me divitem
Bonis habere mentem.
Ego autem in Domino &c.

Oratio ut ſupra.

AD SEXTAM.

DEus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

ZElo ſalutis igneo,

Igna-

Ignatius calescit,
Gelu rigente bruméo
Hæc flamma non tepescit,
In stagna mersus gelida,
Cæsusque fuste duro,
Et membra vinctus pallida,
Nil, inquit, ista curo :
Jucunda sunt ob proximi,
Ferenda vincla fructus :
Quod gaudii sunt maximi,
Non sunt origo luctus,
Magister ignorantium.
Lojola digne coelo,
Fac corda te precantium
Pari flagrare zelo.
Ego autem in Domino, &c.
Oratio ut supra.

AD NONAM.

DEus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

NOn motus est in corpore,
Non

Non ſenſa mentis ulla,
Non ſpiritus ſub pectore,
Micansque vena nulla.
Quam Numinis, non gloriæ,
Lojola conſecraret,
Ad ſumma, quô ſe gratiæ
Sic dona compararet,
Jam terror audit dæmonum,
Victorque paſſionum,
Exterminator hæreſum,
Exemplar actionum.
Exempla Sancte Spiritus,
Ut ſancta, fac ſequamur.
In omnibus divinitus
Agamus ac agamur!
Ego autem in Domino &c.

Oratio. ut ſupra.

AD VESPERAS.

DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

MAter DEI te diligit,

Lojola, teque JEſus.
Cruci ferendo ſubjicir,
Crucis dolore læſus:
Te luce multa Trinitas
Illuminat precantem,
Redundat in te claritas,
Cœleſtis emicantem;
Ubique providentis,
Divina te gubernat,
Et inter imminentia
Salvum pericla ſervat.
Fac oro, fac altiſſimi
Sub dextera quieſcam;
Interque mundi peſſimi
Adverſa mihi paveſcam.
Ego autem in Domino, &c.

Oratio ut ſupra.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos Deus Salutaris noſter,
Et averte iram tuam à nobis.
DEus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

MUltum Philippus Nerius,
Te vivus æſtimavit.
Divuſque te Xaverius
Sanctum Patrem vocavit.
Tereſſa vidit byſſina
Sub ſigna congregato.
Tenere cælos, agmina
Tuorum candidata
Hos inter, oro, cælites
Lojola conſidere,
Nos eſſe JEſu milites,
Nos, fac, DEum videre
Et qui tuos miraculis,
Pater fovet clientes,
Semper futuris ſæculis
Juvare perge gentes
Ego autem in Domino &c.

Oratio ut ſupra,

COMMENDATIO in fine.

HYMNUS.

QVæ Sacra panxi Cantica
Tuæ dicata laudi,
Benignitate cælicâ
Lojola semper audi,
Et me tuis virtutibus
Fac usque, & usque plenum
Et absque nevis omnibus,
Cor consequi serenum
Non orbis ulla turbidi
Me subruat procella,
Nec dæmonis me callidi
Vincant dolosa bella
Hæc flammeis affectibus
Pro me DEum precare :
Plerumque me defectibus
Non desinas amare. Amen.

LITANIÆ
Ad S. IGNATIUM

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos.

Chri-

Christe exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere nobis.
Spiritus Sancte DEUS, Miserere
Sancta Trinitas unus DEus, Miserere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora.
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Sancte Pater IGNATI, Ora.
Quem suo JESU commendavit Pater æternus, Ora.
Cui ipse JEsus se propitium fore promisit, Ora.
Quem Spiritus Sanctus omnium virtutum genere decoravit, Ora pro nobis.
Zelosissime cultor SS. Trinitatis Ora pro nobis.

Qui quantus quantus eras, opus eras Virginis. Ora.

Qui tanquam clypeus à Deo assumptus es ad resistendum hæreticis, Ora.

In quo miserentis Dei bonitatem atque potentiam, Ecclesia Catholica veneratur, Ora.

Animum gerens mundo majorem, Ora pro nobis.

Lumen Ecclesiæ, Ora.

Vir à DEO excitate ad cōdendam Societatem, Ora.

Communis orbis terrarum thesaure, Ora pro nobis.

Miraculis clare, Ora.

Catholicæ Religionis ubique dilatandæ studiosissime. Ora.

Indefesse lucrandis DEO animis, Ora pro nobis.

Majorem DEI Gloriam semper

in

in ore habens, ſemper in omnibus quærens. Ora.
Illuſtris, magnis in Eccleſiam meritis & miraculis, Ora.
Portus ultime, & ſpiritus ſalutis, Ora pro nobis.
Divine Hercules edomandis monſtris à Deo date. Ora.
Atlas ſubmiſſe cælitus fulciendo Regno Dei, Ora.
Prodigioſe Angele, Ora.
Columna ingens Eccleſiæ, Ora.
Succeſſor Apoſtoli Pauli, Ora.
Sincerum vas electionis ad converſionem orbis, Ora.
Vas electum ad multorum ſalutem Apoſtolico ſpiritu plenum Ora pro nobis.
Homo juvandis hominibus & mortalium bono vere nate, Ora pro nobis.
Homo in quo oſtendit DEUS,
 quàm

quàm ei curæ sit Ecclesiæ securitas, Ora pro nobis.
Virtutum prudentiæq; speculum.
Pater in Christo S. Francisci Xaverii, Ora pro nobis.
Dux create ad Lutheri aciem profligandam, Ora pro nobis.
Divine homo, Ora pro nobis.
Sanctitatis exemplum, Ora pro.
Vir admirabilis, Ora pro nobis.
Amans DEI, non cæli, Ora pro.
Osor mundi, non hominum, Ora
Virtute maxime, submissione minime. Ora pro nobis.
Dux exercitûs voluntarie pro servitio Ecclesiæ, Ora pro nobis.
Legislator benè ordinatæ Reipublicæ, Ora pro nobis.
Sapiens discretor spirituum, Ora.
Practice instructor spiritualium exercitiorum, Ora pro nobis.
Ingeniose inventor proficuarum indu-

industriarum, Ora pro nobis.
Zelans persecutor morum vitiosorum, Ora pro nobis.
Vigilans detector diabolicarum insidiarum. Ora pro nobis.
Animose contemptor occurrentium periculorum; Ora pro.
Stupende patrator miraculorum, & prodigiorum, Ora pro nobis.
Annule digiti DEI, Ora pro nobis
Lampas lucens & ardens amore Dei & proximi, Ora pro nobis
Lilium Castitatis; Ora pro nobis.
Regula mortificationis; Ora pro.
Idea Modestiæ. Ora pro nobis.
Animorum dissidentium conciliator, Ora pro nobis.
Prototypon pœnitentium, Ora.
Amator Crucis Christi, Ora pro.
Unio pretiosissime Religiosorum, Ora pro nobis.
Salus infirmorum: Ora pro nobis.

Solatium afflictorum, Ora pro.
Refugium pauperum, Ora pro.
Nutritie pupillorum, Ora pro.
Pater ſtudioſæ Juventutis, Ora.
Patriarcha Societatis JEſu, Ora.
Vates rerum futurarum, Ora pro.
Sectator vitæ Apoſtolicæ, Ora.
Martyr deſiderio & voto, Ora.
Decus vitæ activæ & contemplativæ. Ora pro nobis.
Templum pacis ac Sanctitatis. Ora pro nobis.
Advocate te invocantium, Ora.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI &c, Exaudi nos Dñe.
Agnus DEI &c. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Ora pro nobis S. Pater Ignati.
Ut

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

DEus, qui ad majorem Nominis Tui gloriam propagandam, novo per Beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti. Concede, ut ejus auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cælis. Qui vivis & regnas, &c.

ORATIO.

Recitanda ante Imaginem S. IGNATII.

SAlve S. Patriàrcha Ignati, imitator JEsu Christi, Templum Spiritûs Sancti, serve amate Sanctissimæ Trinitatis. Salve æmulator Martyrum: imago Apostolorum, vas electionis, salve expugnator vitiorum, compendi-

um virtutum, idea perfectionis. Salve norma patientiæ, castitatis lilium, modestiæ speculum. Salve obedientiæ prodigium, charitatis ignis, pauperum refugium. Salve exemplar abstinentiæ, humilitatis prototypon, afflictorum solatium auxiliare, Magister ignorantium, Dux pœnitentium, Reformator Christianorum. Illumina mentem meam; lux infidelium. Guberna cor meum magne affectuum tuorum moderator. Impetra mihi veniam, felicissime pacis conciliator. Exora in bono perseverantiam, firma Ecclesiæ columna. Intercede pro me, meisq; omnibus, tum consanguineis, tum amicis, & benefactoribus, strenue clientum tuorum Protector. Sis mihi scutum in adversitatibus, defende me à tentationibus, & omni-

omnibus in vita malis, nec me deseras in hora mortis meæ, Am.

Antiph. Isa. 42. Ego Dominus vocavi te in justitia & apprehendi manum tuam, & servavi te, & dedi te in fœdus populi; in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum: de domo carceris sedentem in tenebris.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus.

In omnibus populis mirabilia ejus.

Orationes ad S. Ignatium.

OREMUS.

DEus, qui servum tuum Sanctum Ignatium de mundi castris ad spiritualis militiæ triumphos evocasti, præsta quæsumus, ut eum sequamur ducem morum, & protectorem consequamur

mur. Per Christum Dominum nostrum &c.

Antiph. Idcirco posui te, ut ostenderem in te fortitudinem meam, & narrarem nomen meum in omni terra.

Iste Deus meus. Et glorificabo eum.

OREMUS.

DEus, qui glorificantes te, glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris, concede propitius, ut qui Sancti tui Confessoris Ignatii gloriosa merita colimus, ejus apud te pia patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat &c.

Oratio S. Ignatii.

SUscipe Domine universam Libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, atque volun-

voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum offero, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem quæso tui solùm, cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Affectus S. P. IGNATII:

1. O DEus ego amo Te,
Nam prior Tu amasti me.
En libertate privo me
Ut sponte vinctus sequar Te.

2. Nil suggerat memoria
Nisi de Tua gloria:
Nil intellectus sapiat,
Præterquam ut Te capiat.

3. Protestor nihil velle me,
Nisi quod sciam velle Te:
Quæ dono Tuo, mea sunt,
Hæc dono meo, tua sunt.

4. A Te accepi, recipe:

Quid iis velis præcipe,
Guberna ſicut ſcis & vis,
Nam ſcio quod amator ſis.
5. Amore ſolo dona me
Ut ego quoque amem Te
Et vigil, & per ſomnĩa
Hæc dando, dabis omnia.

BENEDICTIO AQUÆ S. P. IGNATII.

Corpori & animæ plurimum ſalutaris, multisque exemplis comprobata.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
℣. Domine exaudi Orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Do-

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne DEus, qui benedictionis gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate custodis; ad invocationem Nominis tui benignus assiste (intercedente B. Ignatio Confessore tuo) ut famulos tuos ab ægritudine liberatos, & sanitate donatos, dexterâ tuâ erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ, cum omni prosperitate restituas. Per Dominum nostrum JEsum Christum &c.

BEnedic Domine hanc aquam ut sit remedium salutare generi humano, & per intercessionem B. Ignatii, cujus reliquiæ in

eam immerguntur, præsta, ut quicunque ex illa sumpserint, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiant. Per Dominum nostrum &c.

DEus, qui ad majorem Nominis tui gloriam propagandam novo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborâsti, concede, ut ejus auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cælis. Per Dominum nostrum JEsum &c.

Reliquiæ merguntur initio Benedictionis usque ad finem.

EXER-

(* *)

EXERCITIUM UNDECIMUM.

Erga

S. XAVERIUM.

COMPENDIUM VITÆ S. FRANCISCI XAVERII, Soc. JEsu.

FRANCISCUS XAVERIUS, in Xaverio Diœcesis Pampelonensis Nobilibus parentibus, totius orbis Christiani bono editus, S. Ignatio sese comitem & discipulum junxit, mortuus semel mundo: ut viveret semper Christo. Carnem biduanis triduanisque jejuniis, cruentis flagellationibus, acutâ ferreis clavis

vis zonâ, hausto è morbidorum ulceribus pure, ita spiritui subegit, ut qvamvis non esset spiritus, Spiritu tota agereretur. Virginitate integerrima, aboribus indefessa; Nubes volatilis potius quàm caro, & umbra spiritûs, continuo amore Dei, & proximi, bullientis, non onus. Missus cum Apostolici Nuntii potestate in Indias; Apostolica munera incredibili penè labore exantlavit. Sanctitate pariter ac miraculis verè Apostolicus, adeoque Apostolus Indiarum oraculo Gregorii 13. in Bulla Canonizationis Anno 1622. omni merito appellatus. Difficillimis barbararum gentium lingvis subito ac divinitus imbutus: uno insuper idiomate loquens, à diversissimis nationibus intelligebatur. Currebat per provincias nu-

dipes

dipes, confixis, atque contusis non raro pedibus, bajulus ipse Sacerdotalium indumentorum, & librorum divinorum, quo pænè modo plusquam centum millia milliarium in causa Evangelii emensus. Servus suâ sponte ductori viarum barbaro addictus, ea celeritate animi præeuntem equitem sequebatur pedes, ut interdum manibus ad equum appensis, seu rueret in terram, seu violenter raperetur, iter perageret. Vaticinia edidit innumera, signo crucis salsum edulcoravit, exarmavit mare precibus, pluit orationis cineres, profligavit invocato Numine barbarorum exercitus, idem eodem tempore geminis & longissime dissitis locis periclitantibus adfuit. Cum Insulam Moro ingressus, primùm in Concione audi-

auditetur, concussa terra, rugitusque ac voces dæmonum auditæ. Tu nos peruris Francisce, tu regno pellis. In solo Malacensis Episcopatûs, octingenti miraculosè sunt sanati, viginti quinque mortui suscitati, nec adhuc omnes cogniti. Fides Japoniæ, Molucis Ambiano, aliisque Provinciis vastissimis invecta, cum magnos Principes, Regesve &c. complures ac cum iis vigesies centena millia populi manu propria baptizasset, præ gaudiorum cœlestium felici infusorum multitudine: Satis est Domine, satis est, sæpe exclamare auditus: laboribus & proximorum saluti procurandæ satis nunquam dicere voluit, sed continuo zelo anhelans, Sinarum impervia regna intrare contendit. Unde ex Insula Sanciano die 2. De-

Decembri ad laborum præmia evocatus. Demortui cadaver, vivâ calce per multos menses bis obrutum, sed penitus incorruptum odore & sangvine manavit. Idem cum per mare in Indias reveheretur, scopulus navi imminens certum naufragium nautis ostentabat. Sed invocata XAVERII ope, effectum admirabiliter, ut non scopulus navim, sed navis scopulum finderet; atque fissum illæsa transiret. Molucæ quoque ad adventum mortui, pestis sævissima confestim sedata: tot denique tam varia miracula; à XAVERIO passim in illis regionibus edita, ut ex communi sensu *Si* Xaverius miracula non faceret pro miraculo haberetur.

Mortuus Anno Domini 1552. initæ Societatis 13. ætatis suæ 55.

in Sanciano Sinarum insula Feria 6. Decemb: die 2. A Sanctissimo D. N. Gregorio XII. Anno 1622. Martii 12. in Sanctorum numerum relatus.

OFFICIUM S. FRANCISCI XAVERII,

Societatis IESU.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam,

℣. DEUS in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum &c. Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

IN flore vitæ Xavier,

Spre-

Spretis honorum fascibus,
Spebusq; stirpis patriæ,
Ad cæli amores vertitur
Sacri calore Spiritus,
DEO parata victima
Ignatianis æstuans
Totus liquescit ignibus.
O vita JEsu cordum
Fac ut caduca deserens.
Te sorte quam concesseris.
Mea mens requirat unicum.

Antiph. Egredere de domo tua, & cognatione tua, & de terra patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi. Gen. 12.

Inveni Filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Act. 13.

ORATIO.

DEUS, qui Evangelium Regni tui per barbaras gentes & reconditas nationes, S. Fran-

cisci Xaverii prædicatione seminasti, & ejus sanctitatem innumeris hactenus miraculis decorasti: concede quæsumus, ut cujus memoriam agimus etiam virtutes imitemur. Per Dominum nostrum &c.

AD LAUDES:

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra in Matutino.*

HYMNUS.

EXegit omnem laudibus,
Amoribusque Numinis,
Inter secunda & aspera,
Vitæ diem Xaverius.
Seu mane sol assurgeret,
Seu conderetur æquore;
In ore DEus insederat,
In corde JEsus dixerat.
Mea, ô felicitas!
Fac ut (quod olim gestio)

Amare te perenniter
Dum vivo totus ordiar.

Antiph. Quid mihi est in cælo & à te quid volui super terram DEus cordis mei & pars mea DEus in æternum. Psal. 71.

Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, Eccl. 51.

Oratio ut supra.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adiutorium &c. *ut supra in Matutino.*

HYMNUS.

MIssertus orbis ultimi,
Xaverius caliginem,
Ab occidentis finibus,
Emergit instar Cynthii.
DEum ferebat pectore,
Feris docendum gentibus,
Apostolus deperditæ,
Iterum futurus Indiæ,
JEsu salus mortalium!

Ita

Ita fac amare proximum,
Ut ex hoc amore, Curia
Adaugeatur Cælitum.

Antiph. Ite Angeli veloces ad gentem expectantem & conculcatam, cui diruperunt flamina terram. Isaiæ 18.

Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Isa.

Oratio ut supra.

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

MIraculorum gloria,
Apostolorum infulis,
Et gentium præconiis
Ubique magnus Xavier,
Suo tamen suffragio,
Postremus unus omnium,
Cujuslibet solatiis,
Se dedicat Xaverius,

O qui

O qui ſuperba conteris,
JESU humilium ſublimitas,
Tuo ex amore deſpici.
Fac ut frequenter expetam.

Antiph. Ante Dominum qui elegit me, vilior fiam plusquam factus ſum: & ero humilis in oculis meis, & glorioſior apparebo. 2. Reg.

Omnibus omnia factus ſum.
Ut omnes facerem ſalvos.
1. Corinth: 3.

Oratio ut ſupra.

AD SEXTAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra in Matutino.*

HYMNUS.

O Virginem Xaverium!
Et ſanguinis caloribus,
Erroribusque gentium.
Et ſomniis ſuperſtitem:
Hinc caſtitas poſt funera

Vetuit malam putredinem,
Intacta ſemper lipſana
Xaverii contingere
O Diva JESU puritas!
O Matre nate Virgine,
Da labe ſine me conſequi,
Qua ductor Agnus iveris!

Antiph. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud DEum nota & apud homines. Sap: 4.

Hi ſequuntur Agnum quocunque ierit, ſine macula enim ſunt ante thronum DEI. Apoc: 14.

Oratio ut ſupra.

AD NONAM.

DEus in adjutorium, &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

VAſtæ remotas Indiæ,
Plagas obit Xaverius,

Lojola ſed vel literâ
Si juſſeris revertitur,
Nec ſol ut promptiſſimus,
Vel ſtare, vel recurrere.
Volente juſſus Numine,
Talis reſorbet orbitam.
Exordientem Nominis,
Agnoſco JEsu literam
Opto per hanc cum legibus
DEI placita decurrere!

Antiph. Audi Fili mi diſciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo. Proverb:

In capite libri ſcriptũ eſt de me,
Ut facerem voluntatem tuam.
DEus meus. Pſal: 63.

Oratio ut ſupra.

AD VESPERAS.

DEus in adjutorium &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

CEcidêre monſtra Tartari,
Idola pulſa gentium,
Fide inſtituti Japones,
Chinæ recluſa littora.
Vicena quinque funera,
Et quin & vitæ reddita:
Pulſis tot orbe peſtibus,
Franciſce, Numen evocat,
JEsu laborum præmium,
Mercede major maximâ:
Conando quidquid geſſero,
Te, Te in Coronam poſtulo.

Antiph. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum. Pſal. 90.

Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt Principatus eorum: Pſal. 130.

Oratio ut ſupra.

AD COMPLETORIUM.

DEus in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

FRancisce jam cœlestium,
Divis recepte sedibus,
Dignare te colentium,
Piis adesse mentibus.
Omnem per orbem, gloriæ
Tuæ eriguntur symbola,
Per te impetratæ gratiæ,
Ubique stant insignia.
Eous & Septemtrio,
Meridies, & Occidens;
Et iste, & ille plurimis;
Tibi calet clientibus,
O perditorum temporum,
Francisce, spes amplissima,
Orbis Pater novissimi
Patrone, Lux, Apostole.
Salve tuoque lumine,

Tuos ſerena ſupplices:
Fac mundus omnis ardeat
Divini amore Numinis,
Fides ut una gentium,
Fines inundet omnium,
Ut una pax cœleſtium,
Cor jungat & terreſtrium.

Antiph. Hic eſt fratrum amator, & populi Iſràél, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta Civitate. Mat: 2. c. 15.

Ora pro nobis S. Franciſce Xaveri,
Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio ut ſupra.

LITANIÆ

Ad S. FRANCISCUM XAVERIUM.

Kyrie

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEus, Miſere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEus, Miſerere.
Sancta Trinitas unus DEus, Miſerere nobis.
Sancta MARIA, Regina totius mundi. Ora pro
Sancta DEI Genitrix,
Sancta Virgo Virginum.
Sancte Franciſce Xaveri, digniſſime, & dilectiſſime Fili S. Patris Ignatii.
S. Franciſce Xaveri Indiarum Apoſtole,
S. Franciſce Xaveri Evangelizans pacem,

Ora pro nobis.

S. Fran-

S. Francisce Xaveri Evangelizans bona,
Vas electionis portans Nomen JEsu coram gentibus,
Vas redundans Divinæ Charitatis,
Firmamentum Orientis Eccleſiæ,
Propugnator fidei,
Impugnator infidelitatis,
Prædicator Evangelicæ veritatis,
Idolorum deſtructor,
Electum à Patre Æterno inſtrumentum propagandæ Divinæ gloriæ,
Fidelis imitator JESU Chriſti Filii DEI & Societatis,
Tuba reſonans S. Spiritus,
Columna Templi DEI,
Lux paganorum,
Magiſter credentium,

Ora pro nobis.

Spe-

Speculum veræ pietatis,
Dux in via virtutum, & Christianæ perfectionis,
Exemplar Apostolici Spiritus, & sanctitatis,
Lumen cæcorum,
Pes claudorum,
Auxiliator naufragorum,
Salus ægrotorum,
Fugator Dæmonum,
Vita mortuorum,
Cujus potestati obediunt mare & tempestates,
Cujus imperia venerantur universa elementa,
Prodigiorum Thaumaturge,
Refugium miserorum,
Gaudium afflictorum,
Orientis splendor,
Pignus resurrectionis ad vitam gratiæ & gloriæ,

Ora pro nobis.

Tabernaculum incorruptionis.
Ærarium Divini Amoris,
Gloria Societátis JEsu,
Legate Apostolicæ Romanæ Sedis,
Pauperrime Xaveri,
Castissime Xaveri,
Obedientissime Xaveri,
Crucis Christi, ac laborum, pro Christo cupidissime Xaveri,
Suavissime Xaveri,
Gloriosissime Xaveri,
Animarum & Divini honoris, Zelator ardentissime,
Angele moribus & vitâ,
Patriarcha affectu, & studio curandi populum Dei,
Propheta dono & Spiritu,
Apostole dignitate & merito,
Doctor gentium potens in multifario sermone & opere,
Confessor virtute & vitæ pro-

Ora pro nobis.

fessione. Ora pro nobis.
Virgo animo & corpore. Ora pro.
In quo uno omnium Sanctorum merita ex Divina benignitate veneramur, Ora pro.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater noster &c.

Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos à malo.
Ora pro nobis S Francisce Xaveri
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

HYMNVS.

DEus, qui Indiarum gentes, Beati Francisci Prædicatione & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti, concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum &c.

Oratio S. Francisci Xaverii pro persecutoribus.

Tursel: vitæ l. 5. c. 6.

DOmine JESU Christe, DEUS cordis mei, per acerbissimos mortis tuæ cruciatus, obtestor te, ut intuearis tuas ipse cicatrices & vulnera, quæ Patri tuo assiduè pro nobis exhibes eaque salubria esse velis omnibus persecutoribus nostris, ut resipiscant.

Ora-

Oratio pro conversione Gentilium, aliorumque peccatorum.

O JESU Christe, DEus cordis mei, obsecro te per quinque illa Vulnera, quæ tibi in Cruce nostri amor inflixit, famulis tuis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti. *Turs. vitæ l. 5. c. 2.*

Oratio Ecclesiæ de S. Xaverio.

Antiph. Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi Regnum DEI.

Aspirationes S. Xaverii.

Mi JESU! dulcis JESU!
O JESU bone! ô Creator mi!

Suspiria S. Francisci Xaverii morientis.

JESU Fili David miserere mei!

Tu

Tu autem peccatorum meorum miſerere! Mater DEI memento mei. JESU MARIA. JESU, DEus cordis mei.

Lib: 5. c. 11.

Poſt mortem apparuit S. Xaverius ægro Maſtrillo; eumque perſanans, hunc ſanctam Crucem ſalutandi, modum docuit, in hæc verba:

AVe Lignum Crucis, ave Crux pretioſiſſima: me totum tibi dedico in perpetuum.

AFFECTUS
AMANTIS ANIMÆ
S. FRANCISCI XAVERII.

O DEus! ego amo Te,
Nec amo Te, ut ſalves me
Aut quia non amantes Te,

Ætor-

Æterno punis igne.
Tu, tu, mi JESu, totum me
Amplexus es in Cruce;
Tulisti Clavos, Lanceam,
Multamque Ignominiam
Innumeros Dolores,
Sudores & angores, (me,
Ac mortem: & hæc propter
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O JESU amantissime?
Non ut in cœlo salves me,
Aut ne in æternum damnes me
Nec præmii ullius spe,
Sed sicut Tu amâsti me,
Sic amo, & amabo Te,
Solùm quia Rex meus es,
Et solùm quia DEus es, Amen.

Hanc Orationem quicunque dixerit ante Imaginem S. Francisci Xaverii, toties indulgentiam 200. *dierum lucrabitur.*

Ordinaria pia opera honori S. Xaverii usurpanda.

SINGULIS MENSIBUS.

Opportunum fuerit singulis primis Feriis Sextis cujuslibet mensis sacræ Synaxi accumbere ac jejunium ejusdem diei stabile offerre Deo cum dicta Communione ad honorem S. XAVERII, & pro animabus purgatorii, quæ peculiariter affici erga hunc Sanctum consueverunt, nisi ob certas causas sacra Communio in Dominicam proximè sequentem transferenda esset, proderit etiam minimum semel in mense Coronam Beatissimæ Virginis recitare, & sacro Missæ interesse, supplicando pro Gentium & peccatorum conversione, cui se, vitamq; universam S. XAVERIUS impendit.

Ad memoriam annorum ætatis S. XAVERII rosarium 5. Decadum hoc modo contexere poteris, ut singulæ constent hac invocatione.

S. FRANCISCE XAVERI,
ora pro me.

Decies repetita, singulas autem distinguat sequens precatiuncula: *S. Francisce Xaveri, rogo te amore DEI, impetra mihi verum DEI amorem, & inter frequentes actus amoris DEI, mortem felicem.*

Demum Officium, & Litaniæ de Sancto XAVERIO, quas vide supra, sæpiùs decursu mensis pro cujusque devotione & opportunitate recitari poterunt.

Singulis Hebdomadis.

FEria Sexta cujuslibet hebdomadæ conducet invisere Templum aut Sacellum vel saltem

Altare S. XAVERIO dedicatum, recitando eo in loco decies Pater noster, & Ave Maria, & decies Gloria Patri, &c. in memoriam annorum decem, quos pro salute proximi in Indiis S. XAVERIUS impendit, factaque intentione orandi pro omnibus Sancti hujus Patroni honorem fideliter, ac solicite procurantibus.

Feria etiam Sexta, si opportunum fuerit, recitari poterit officium de Sancto, & una ex supra positis Litaniis.

Singulis diebus.

SIngulis diebus, licebit cuivis ter devotè pronuntiare sequentia *S. FRANCISCE XAVERI ora pro nobis, ut digni efficiamur promissionibus Christi.* Commodius

modius forte accidet iſta dicere Primò, cum è lecto ſurrexeris. Secundò veſpere, priusquam decumbas, Tertio hora duodecima quâ & Chriſtus, & Sanctus tuus Patronus obierat.

Præter orationem Eccleſiæ: *Deus qui Indiarum Gentes, &c.* ſupra poſitam, aliqua ex infra ponendis orationibus, cum brevioribus, de S. XAVERIO Litaniis quotidie pro cujusque devotione utiliter recitari poterunt.

SUSPIRIA SINCERI AMORIS.

Rhythmo Hiſpanico à S. Xaverio compoſita.

NEc gaudiorum æternitas
Promiſſa diligenti,
Nec inferorum æternitas

Para-

Parata negligenti,
Nec illa me, nec iſta me
Amare te coegit,
Tu! qui cruenti ſtipitis
Sublatus in theatrum
Exemplar es pulcherrimi
Et artifex Amoris.
Ah! conſpicor trabalibus
Manus, pedesque clavis
Fixumque pectus militis
(Sed plus amoris) haſtâ!
Heu flagra, ſpinas, vulnera,
Heu probra, ſputa, ſannas,
Tandemque contemptiſſimam
Pro me nocente mortem!
Hæc una me dulciſſimi
Sinceritas Amoris:
Hæc ô Amator optimè!
Amare te coegit.
Si nulla nobis præmia
Promitteres, amarem:
Si nulla nobis tartara

Prædiceres, Amarem
Gratisque Te, ſemperque Te
Amo DEUS & amabo:
Ut tu prior, gratisque me
Amaveras, Amabo.
Tantumq; Te quod OPTIMUS
DEusque ſis Amabo.

Aſpirationes S. Franciſci Xaverii interdiu familiares.

JESU Chriſte Fili DEI vivi, da hoc nobis, ut Te ſuper omnia diligamus.

Da nobis Domine Sanctiſſimæ voluntatis tuæ perfectè ſemper agnoſcendæ, & adimplendæ gratiam.

Non nobis Domine, non nobis ſed Nomini tuo da gloriam.

Quis mihi det, ut ego moriar pro te, & cognoſcant te omnes fines terræ.

Ampliùs Domine cruciari amplius! DEus

DEus cordis mei, & pars mea DEus in æternum.

Satis eſt Domine, Te ſi habeam, ſatis eſt.

ORATIO AFFECTUOSA

Ad S. FRANCISCUM XAVERIUM in quacunque corporis aut animæ afflictione.

SAnctiſſime Pater Franciſce Xaveri, qui ex ore infantium perficis laudes tuas; humillime obſecro humaniſſimam charitatem tuam, per Sanguinem JESU pretioſiſſimum, & per Immaculatam Conceptionem Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ MARIÆ, ut mihi ab infinita DEI bonitate, (ſi me in hac mea afflictione diutius permanere expedit

dit) impetres; ut eam ex manu DEI susceptam, patientissime perferam in honorem patientis Christi: sin me summa DEI bonitas ea liberum velit: Protector mi prodigiosissime, excita potentiam tuam, & veni; ut me ab afflictione hac mea liberes, in manu forti, & in brachio tuo excelso: ut nulli humano auxilio, sed tuis apud JESUM & MARIAM intercessionibus mihi impertratam debeam ejusdem liberationem. Ecce Pater mi humanissime ante Te omne desiderium meum, & gemitus meus, à te non est absconditus, Amen.

Oratio à S. Xaverio composita, & ab eodem pro Gentilium, Hæreticorum, ac peccatorum conversione sæpius usurpata.

ÆTernæ rerum omnium effector

factor DEus, memento abs te animas Infidelium, Hæreticorum, & peccatorum procreatas, easq; ad imaginem, & similitudinem tuam conditas. Ecce Domine, in opprobrium tuum, his ipsis infernus impletur. Memento JEsum Filium tuum, pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli quæso Domine, ultrâ permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur, sed precibus Sanctorum Virorum, & Ecclesiæ, Sanctissimi Filii tui Sponsæ placatus, recordare misericordiæ tuæ, & oblitus idololatriæ, & infidelitatis eorum, effice, ut ipsi quoque agnoscant aliquando, quem misisti Dominum JEsum Christum, qui est salus, vita & resurrectio nostra, per quem salvati, & liberati sumus cui sit glo-

ria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Forma eligendi S. Franciscum Xaverium in Patronum.

SAncte, & gloriose Indiarum Apostole, Francisce Xaveri ego NN. tuâ, quâ in omnes te invocantes benignus es, pietate invitatus, te hodie in Patronum, & Advocatum eligo, & corpus meum, & animam meam; omnem spem meam, & consolationem meam, omnes angustias, & miserias meas; vitam, & finem vitæ meæ in sinum tuæ charitatis commendo. Obsecro te igitur, suscipe me in clientem perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, ut eæ ad omne beneplacitum DEI dirigantur. Amen.

Formula, quâ se pia quædam anima S. Xaverio devovit.

OMnipotens sempiterne Deus, qui B. FRANCISCUM XAVERIUM gratia sanitatum universo orbi celebrem effecisti: Ego N N. licet Divino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen ejusdem S. Francisci Xaverii intercessione coram Divina tua Majestate prostratus *voveo me* (quod si vita & sanitas indulserit) *tertiam diem Decembris*, quæ eidem S. Francisco Xaverio sacra est, quotannis confessione, & Sanctissimæ Eucharistiæ sumptione celebraturum. Accipe misericordissime DEUS indignissimi servi tui humile votum, & præsta ut, quod meis meritis non valeo, id S. tui Francisci Xaverii patrocinio, & piâ intercessione assequar. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

NO-

NOVENNA
Magni Indiarum & Iaponiæ
APOSTOLI,
Totius Orbis
THAUMATURGI
S. FRANCISCI XAVERII,
Soc. JESU.

PRO PRIMA DIE.

O SANCTE ac gloriose Indiarum Apostole Francisce Xaveri! Ego N. hactenus indignus cliens tuus, impulsus magna benignitate, quam te colentibus exhibes, eligo te hodie & semper pro speciali meo, meorumq; Patrono & Tutelari; tibi committo & trado corpus & animam, omnem spem & consolationem meam, omnes adversita-

tes & necessitates meas, tandem vitam & mortem commendo in amabilissimas manus tuas. Promitto me à patrocinio tuo nunquam recessurum sed tui venerationem viribus omnibus ubique promoturum. Ideo demisissime supplico ut me in servum & clientem tuum perpetuum suscipias, mihi in omnibus actionibus meis assistas, nec me unquam præcipuè in hora mortis ope tua destituas.

ORATIO.

O Gloriose & Sancte Francisce Xaveri! Indiarum Apostole, & præpotens apud DEum Advocate, in te omnem spem & fiduciam meam colloco, ô electe ex millibus Protector & Intercessor meus, & offero tibi hanc meam quam piè his diebus in honorem

rem Christi patientis, Immaculatæ Virginis, & Sanctorum Angelorum peragere intendo, devotionem, quam & Sanctissimis tuis apud DEUM & omnes Sanctos meritis, ardentissimæque illi pietati & amori, quo te omnes per mundum tuis laudibus devoti homines venerantur, unitam cupio; inter quos & me indignissimum benigne respicere & suscipere digneris. Age ergo ô Sanctissime Xaueri ut ad majus Dei tuæq; gloriæ incrementũ cedat, ut mediantibus tuis apud DEUM meritis, & efficacissimo patrocinio singularis hujus gratiæ particeps reddar, quam tantopere desidero, & per hanc novem dierum devotionem unice intendo, impetra mihi illã per sanctam intercessionem tuam ô magne Patrone mi & serve DEI, si au-

tem ad majorem DEI gloriam honorem tuum, & animæ meæ commodum illa non foret, eò humilem meam petitionem dirige & id mihi solum à DEO impetra quod sanctissimæ ejus voluntati placet, & conforme est, & gratiam largire, ut ad solatium & salutem animæ meæ, illi me planè conformare valem, Amen.

Antiph. Vere languores nostros ipsè tulit & dolores nostros ipse portavit; & nos putavimus eum quasi leprosum percussum à DEO & humilitatum, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

℣. Disciplina pacis nostræ super eum.

℟. Et cruore ejus sanati sumus.

ORA-

ORATIO.

DOmine JEsu Christe, qui de cælis ad terram de sinu Patris descendisti, & Sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum meorum fudisti, te humiliter deprecamur, ut in die judicii ad dextram tuam audire mereamur: Venite benedicti. Qui vivis & regnas &c.

Antiph. Conceptio tua DEI Genitrix gaudium annuntiavit universo mundo: Ex Te enim ortus est Sol Justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

℣. Conceptio est hodie Sanctæ MARIÆ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustravit Ecclesias.

Famulis tuis quæſumus Domine cæleſtis gratiæ munus impertire, ut quibus B. V. partus extitit ſalutis exordium, Conceptionis ejus votiva ſolennitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Ad primum Chorum Angelorum.

Antiph. Omnes ſunt Adminiſtratorii Spiritus, miſſi in miniſterium propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis·

℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi DEus meus.

℟. Adorabo ad Templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

ORATIO.

DEUS meus & Dominus Angelorum, qui Spiritus tuos mittis ad cuſtodiam hominum, repræ-

repræsento tibi horum Superiorum Spirituûm merita, & merita servi tui Francisci Xaverii, qui propter virgineam puritatem suam Angelus nominari meruit, & quia ille tot hominum millia tuitus est, & in tot ac tantis corporis animarumque periculis custodivit, supplex à te humillimè peto, concede mihi puritatem illam Angelicam corporis & animæ, quam concessisti Sancto Apostolo tuo, notumque beneficium, quod in hac Novenna flagito ad majorem honorem & gloriam tuam, Amen. *Ad hunc finem dices 3. Pater & Ave Maria &c.*

PRO SECUNDA DIE.

Ad secundum Chorum Angelorum.

DEus meus & Archangelorũ Dominus, quibus committis gravissima negotia, quæ gloriam

tuam & hominum utilitatem concernunt: offero tibi merita diligentissimorum horum Spirituum, uti & merita magni servi Tui S. Francisci Xaverii quem elegisti in Ministrum gloriæ tuæ, & cui animarum innumerabilium salutem commisisti, te suppliciter exoro, concede mihi, ut diligentissimè satisfaciam muneri & obligationibus meis, quas divina & sanctissima voluntas tua mihi imponere dignata est, & simul benignissimè annuere velis in gratiam, quam per hanc Novennam flagito ad majorem honorem & gloriam tuam, Amen.

PRO TERTIA DIE.

Ad tertium Chorum Angelorum.

DEUS meus Principatuûm Dominus, qui per Ange-

los

los & Archangelos illuminando, instruendo & imperando, curam habes salutis hominum juxta dispositionem & placitum Divinæ voluntatis tuæ; Offero tibi merita zelantissimorum horum Spirituum, & merita magni servi Tui S. Xaverii, qui non tantùm per semetipsum, sed etiam per discipulos suos & imitatores, instruendo, docendo, demandando illuminavit, & convertit plura regna, & provincias atque in illis animas innumerabiles, & humillimè supplico, concede mihi zelum hujus Sancti Apostoli, & annue petitioni meæ quam per hanc Novennam ad te facio, ad majorem honorem & gloriam tuam, Amen.

PRO QUARTA DIE.

Ad quartum Chorum Angelorum

DEUS meus & Poteſtatum Dominus, quæ ſpecialem vim ac potentiam habent refrenandi dæmones, offero tibi merita horum potentiſſimorum Spirituum, & ſervi tui S. Franciſci Xaverii, cui poteſtatem dediſti & efficaciam, ex corporibus & animabus ejiciendi dæmonia, ſupplex obſecro, largire mihi gratiam ſuperandi omnes diabolicas tentationes, atque id aſſequendi, quod in hac Novenna deſidero ad majorem honorem & gloriam tuam. Amen.

PRO QUINTA DIE.

Ad quintum Chorum Angelorum.

DEus meus & Virtutum Dominus, per quas operaris miracula, & ſupremæ potentiæ tuæ propria prodigia; offero tibi me-

merita prodigiosissimorum horum Spirituûm, & servi tui S. Francisci Xaverii; quem novorum & stupendorum miraculorum Thaumaturgum effecisti, renovando in illo signa & prodigia Sanctissimorum Apostolorum, ut Evangelium annuntiaret gentibus, novisque populis: supplico, concede mihi humilitatem quâ S. Xaverius non suum, sed tuum solum honorem quærebat, & indulge, quod per hanc Novennam quæro ad majorem honorem, & gloriam tuam, Amen.

PRO SEXTA DIE.

Ad Sextum Chorum Angelorum.

DEus meus, Dominationum Dominus, quæ inferioribus spiritibus præsunt, & ut magni ministri tuæ Divinæ Providentiæ,

ſe ſubjiciunt voluntati tuæ, ad omnem nutum tuum exequendum ſemper promptiſſimorum; offero tibi merita horum excellentium Spirituûm, uti & merita S. Franciſci Xaverii, qui cum plurimorum eſſet ſuperior, ſubjiciebat ſe per obedientiam exactiſſimam ſuperioribus ſuis, agnoſcendo in illis Divinam Majeſtatem tuam, & voluntatem eorum ac imperia exequendo promptiſſimè: obſecro, concede mihi promptam & perfectam obedientiam erga omnes ſuperiores meos, uti & id, quod in hac Novenna flagito ad majorem honorem & gloriam tuam, Amen.

PRO SEPTIMA DIE.

Ad ſeptimum Chorum Angelorum.

DEUS meus, & Thronorum Dominus, in quibus quieſcis

ſcis tanquam throno gloriæ tuæ ſedeque Majeſtatis: offero tibi merita horum altiſſimorum Spirituum & merita S. Franciſci Xaverii, electi in thronum gloriæ tuæ, & in vas electionis, ut portaret nomen tuum coram gentibus; qui abnegando ſeipſum & res omnes mundi hujus, caduca & creata omnia ejecit ex corde ſuo, ut Tu ſolus Deus occupares: Concede mihi ut terrena deſpiciat omnia, & in te ſolo quieſcat cor meum, ac me impetraſſe gaudeam, quod in hac Novenna cupio ad majorem gloriam tuam & honorem tuum, Amen.

PRO OCTAVA DIE.

Ad octavum Chorum Angelorum.

DEus meus, Cherubinorum Dominus, qui adornati ſunt perfectiſſimâ ſapientiâ & intelle-

ctu

ctu. Offero tibi merita ſapientiſſimorum horum Spirituûm, & magni ſervi tui S. Franciſci Xaverii, quem inſtruxiſti eminenti ſapientia, eique revelaſti arcana, & myſteria altiſſima, ut legem tuam edoceret, & erudiret multas gentes & nationes: Concede mihi obſecro, ut ſciam timere te, & tibi uni placere, quæ vera eſt ſapientia, & ut exemplo ac verbis meis doceam alios, obſervare mandata tua, & ſimul annue petitioni meæ, quam per hanc Novennam inſtitui ad majorem &c.

PRO NONA DIE.

Ad nonum Chorum Angelorum.

DEUS meus Seraphinorum Dominus, qui te amant amore ardentiſſimo. Offero tibi merita horum ardentiſſimorum Spirituûm, uti & merita ſervi tui

San-

Sancti Francisci Xaverii, qui tanquam humanus quidem Seraphinus se consumebat amore tui, superando innumeros labores, ærumnas & vitæ pericula; ut tibi soli placeret & ut te cognoscerent, ac amarent verum & summum bonum, qui te offendebant, & ignorabant. Præsta mihi, ut amem te super omnia solum DEUM, & Dominum meum, & ut studeam omnes homines trahere in cognitionem & amorem tui, atque indulgeas, quod per hanc Novennã supplico ad majorem honorem & gloriam tuam. Amen.

Antiph. Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et

℟. Et oſtendit illi regnum DEI.

ORATIO.

DEUS, qui Indiarum gentes Beati Franciſci Xaverii prædicatione & miraculis Eccleſiæ Tuæ aggregare voluiſti, concede propitius, ut cujus glorioſa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum noſtrum &c.

HEBDOMADA

S. XAVERII.

DIE DOMINICO

Prima & optima mortis præparatio.

Amor DEI.

GLorioſiſſime XAVERI, qui *DEI Amore* adeo incendebaris, ut ſæpè vultu inflammato,

oculis in Cælum defixis, divinitùs à terra elevareris, quasi in cælum, ubi erat thesaurus tuus, cor, & corpus etiam raperetur, & sæpè non valens resistere abundantiæ dulcedinis Divini amoris, exclamares: *Satis est Domine satis est.* Impetra mihi cor, & oculos cælo semper intentos, eleva istud corpus, ut cælestia sapiat. Abstrahe animam meam à caducis mundi gaudiis, ut illuc semper ferri gestiat, ubi in JESU summo bono, quasi in centro suo æternum conquiescat.

FERIA II.

Secunda Præparatio.

Cor mundum. Examen quotidianum. Crebra confessio.

S. FRANCISCE XAVERI, qui in odium peccati, ex puro erga JEsum tuum amore has ac-

censi in eundem cruci pro peccatis nostris confixum amoris Sanctas aspirationes conscripsisti, da ut easdem pari amoris affectu sæpius assumam, animo, & ore repetam, ac dicam.

Non me movet Domine ad amandum te, cælum, quod mihi promisisti, nec horrendus infernus movet me, ut non offendam te, Tu me moves mi DEus. Movet me, quod videam te crucis clavis affixum, & excarnificatum. Movet me, quod videam corpus tuum vulneratum. Movent me opprobria tua, & mors tua, denique movent me hæc, mi DEus. Et ita movent, ut si non esset infernus ullus, tamen adhuc timerem te, & si nullum esset cælum adhuc amarem te. Non habes quod mihi des pro quo te amem;

quia tametsi ea, quæ spero non sperarem, æquè ac nunc te amo, te amarem.

F E R I A III.

Tertia præparatio.

Vincere se, carnem vexare.

SAncte FRANCISCE XAVERI, qui gloriâ sanctitatis, & meritorum splendore, ac Apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum gentium Apostolus, à DEO S. Ignatii precibus impetratus, eoque duce arctam viam, quæ ad vitam ducit ingressus, carnem tuam jugiter ad antiquum Patrum exemplum severissimè mortificasti, interdicto tibi non solùm carnis & vini, sed panis etiam triticei usu. Fac ut ad antiquum Patrum, ac tuum exemplum amore divino accensus crucis mortificationem jugiter in

in corpore meo portem, nec parcam carni meæ, quo certius peccatis meis parcat in æternum DEUS.

FERIA IV.

Quarta præparatio.

Oratione crebra ſe ad DEI amorem & mortem parare.

O Piiſſime XAVERI, qui tanto ſpiritûs fervore in orando perſeverabas, ut in illo integras noctes tranſigeres; fieretque aliquando talis ſuper te mentis exceſſus, ut oculis in cœlum defixis Divinâ vi à terra elevareris, vultu adeo inflammatus, ut Angelicam prorſus charitatem repræſentans, totus cœleſti quodam igne exardeſceres, ac in præſentes, qui tuo aſpectu ad amorem DEI accendebantur, flammam pietatis emitteres. Doce me

bene

bene ferventerque orare: inflamma ardore cœlesti tepidam orationem meam, eleva mentem hanc tecum in cœlum ad DEum quæque me à devotè orando præpedire possunt procul à me clementer propelle.

FERIA V.

Quinta Præparatio.

SS. Eucharistia Sacrificium & Sacramentum.

SAncte Francisce Xaveri, qui quotiescunque in Ecclesia qua orandi copia erat, ante aram maximam Sacrosanctam Eucharistiam submissis genibus adorabas; à piis laboribus fessus ad templum recurrens, super aræ gradus projectus noctu perseverabas in orando, donec aut te obrueret somni necessitas, aut lux uroræ exurgeret. Accende in me amo-

rem Domus DEI, ut ibi ſponſum animæ meæ frequenter inviſens perfectè orare diſcam à Magiſtro orandi Chriſto, nec niſi quæ placita ſunt ei expoſcam, nec niſi quæ diſplicent, averſer.

FERIA VI.

Sexta Præparatio.

Crebri, & ferventes actus amoris erga Chriſtum Crucifixum.

S. Franciſce Xaveri, cui præter admirabilem totius hebdomadæ ſanctæ inediam, ſub Miſſæ ſacrificio, eo præſertim, quod de acerbiſſima Domini paſſione frequentius legebas, ſolenne fuit ab intimo animi ſenſu ingentem vim lacrymarum profundere. Qui cruces e cælo divinitus tibi oſtenſas, & in illis ea diſcernens, quæ pro Chriſto perpetienda tibi erant; quaſi de ſingulari munere, vel gratia gratulabundus exclamaſti: Amplius Domine, Amplius. Doce me jejunare, doce paſci pane lacrymarum, qui eſt panis amantium, & ideo dolentium de peccatis ſuis. Doce me Crucifixi JESU, quotidie dignè meminiſſe, ac amore illius, quæcunque adverſa obvenerint, patienter, imò, & jucundè perferre.

EXERCITIUM DUODECIMUM.

Erga Sanctum BORGIAM, Soc: JEsu.

Vita S. BORGIÆ.

FRanciscus Gandiæ Dux quartus Joanne Borgiâ, & Joanna Aragonia Ferdinandi Catholici nepte genitus, post puerilem ætatem inter domesticos mirâ innocentiâ, & pietate transactam, in aula primum Caroli V. Cæsaris, mox in Catalauniæ administratione admirabilior fuit Christianæ virtutis, & vitæ austerioris

 exem-

xemplis. Ad Granatenſe ſepul-chrum Iſabellam Imperatricem cùm detuliſſet, in ejus vultu fa- de commutato mortalium omni- um caducitatem relegens, vot- ſe adſtrinxit, rebus omnibus cum primum liceret, abjectû- Regum Regi unice inſerviend- Inde tantum virtutis incremen-tum fecit, ut inter negotio-rum turbas religioſæ perfectioni ſimillimam imaginem referens M- raculum Principum apellaretur. Mortua Eleonora de caſtro con-juge, ingreſſus eſt Societatem JE-ſu, ut in ea lateret ſecurius, & præ-cluderet dignitatibus aditum, in-terpoſita voti religione: dignu- quem & viri Principes complur- in amplectendo ſeveriori inſtitut- fuerint ſecuti, & Carolus Quin-tus ipſe in abdicãdo Imperio ho- tatorem

tatorem sibi, aut ducem extitisse non diffiteretur. In eo arctioris vitæ studio Franciscus jejuniis, catenis ferreis asperrimo cilicio, cruentis; longisque verberationibus, somno brevissimo, corpus ad extremam usque maciem redegit, nullis præterea parcens laboribus ad sui victoriam, & ad salutem animarum. Tot itaque instructus virtutibus, à S. Ignatio primùm Generalis Commissarius in Hispaniis, nec multo post Præpositus Generalis Tertius à Societate universa, licet invitus, eligitur. Quo in munere Principibus, ac summis Pontificibus prudentia, ac morum sanctitate apprimè charus, præter complura vel condita, vel aucta ubique domicilia. Socios in regnum Poloniæ, in Insulas Oceani in Mexicanam, &

Peruanam Provincias invexit
missis quoque in alias regione
Apostolicis viris, qui prædicatio-
ne, sudoribus, sanguine, fidem
Catholicam Romanam propaga-
runt. De se ita demisse sentie-
bat, ut peccatoris nomen sit
proprium faceret; Romanam
Purpuram à Summis Pontificibu
sæpius oblatam, invicta humilita-
tis constantia recusavit. Verrere
sordes, emendicare victum ostia-
tim, ægris ministrare in Nosoco-
miis, mundi ac sui contemptor, i
deliciis habuit. Singulis diebu
multas continenter horas, fre-
quenter octo, quandoque decen
dabat cælestium contemplatio
Centies quotidie de genu DEu
adorabat. Nunquam à sacrifica
do abstinuit: prodebatque se
divinus, quo æstuabat, ardor; eju

vultu

vultu sacram Hostiam cfferentis, aut cōcionantis interdū radiante, Sanctissimum Christi Corpus in Eucharistia latens, ubi asservaretur, instinctu cælesti sentiebat. Cardinali Alexandrino, ad conjungendos contra Turcam Christianos Principes, Legato Comes additus à Beato Pio V. arduum iter, fractis jam pene viribus, suscepit ex obedientia, in qua & vitæ cursum Romæ, ut optârat, feliciter consummavit, anno ætatis suæ sexagesimo secundo, salutis vero millesimo quingentesimo septuagesimo secundo. A sancta Theressia, quæ ejus utebatur consiliis, vir sanctus à Gregorio XIII. fidelis administer appellatus; demum à Clemente X. pluribus, magnisque clarus miraculis, in Sanctorum numerum adscriptus.

OFFICIUM S. FRANCISCI BORGIÆ, Soc: JEsu.

AD MATVTINVM.

NArrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam,

℣. DEus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum &c
Gloria Patri & Filio, &c.
Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

ILluſtre ſidus Principum,
Franciſce ſalve Maxime,

Qui

Qui fœtido cadavere,
Viso horruisti sæculum,
Averte nostra lumina,
Ne vanitatem hauriant,
Sed in supremum cœlitum
Sint fixa sedem jugiter.

Antiph. Tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritûs.

Non aspiciam hominem ultra & habitatorem quietis.

Hæc requies mea in sæculum sæculi, quoniam elegi eam.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui superata mundi vanitate B. Franciscum Borgiam ad societatem Filii Tui vocare dignatus es: præsta quæsumus ut quem eximiæ sanctimoniæ exemplar habuimus in terris, ejus co-

ronæ participes fieri mereamur in cælis. Per Christum Dominum nostrum &c

AD PRIMAM.

DEus in adjutorium, &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

SAlve Columna Gaudiæ,
Et Religionis gloria;
Qui aulâ relictâ Principis
Aulam petisti Numinis!
Servos fideles cælitum
Servire fac nos Principi,
Ut tecum eodem præmio
Fruamur atque gaudio.

Antiph. Apud te laus mea, in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.

Re-

Replebimur in bonis domûs
tuæ.

Oratio ut supra.

Deus in adjutorium, &c.

Gloria Patri &c.

HYMNUS.

Salveto speculum pauperum,
Opumque spretor inclyte,
Felicitatem divitum
Qui vanitatem duxeras,
Fac spiritu nos pauperes,
Virtute vero divites,
Gazas caducas spernere.
Solumque Christum quærere.

Antiph. Coacervavi mihi argentum & aurum, & substantias regum & provinciarum: vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.

Et non respexit in vanitates & insanias falsas.

Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

DEus in adjutorium &c.

Domine ad adjuvandum &c.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve polaris flammula,
Cæli voluptas Borgia
Devotionis lacrymâ.
Cui madebant lumina.
Rores supernos gratiæ
Devotionis deplue,
Cor incalescat frigidum,
Flammis amoris æstuet;

Antiph. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

Tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.

Et

Et in oratione confitebitur Domino.

Oratio ut supra.

AD NONAM.

DEus in adjutorium &c.

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio &c.

Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

SAlve pudicitiæ rosa,
Et castitatis lilium,
Hostis voluptæ maxime
Carnisque victor nobilis.
Tu puritatem corporis
Mentisque serves integram
Cor munda ab omni crimine,
Dignus thronus sit Numine.

Antiph. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam apud DEUM

nota eſt, & apud homines.

Retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam.

Et ſecundùm puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus.

Oratio ut ſupra.

AD VESPERAS.

DEus in adjutorium &c.

Gloria Patri &c.

HYMNUS.

SAlve culmen humilium,
Exemplum obedientiæ,
Calcata honoris purpurâ
Demiſſionis gratiâ,
Qui claruiſti maximâ.
Motus ſuperbos comprime
Mentes rebelles edoma,
Humilesque veros effice.

Antiph. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatum conſidere illum faciet

Me-

Memoriam ſuperborum perdidit DEus.

Et reliquit memoriam humilium ſenſu.

Oratio ut ſupra.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos DEus ſalutaris noſter,

Et averte iram tuam à nobis.

DEus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri &c.

HYMNUS.

SAlve poteſtas dæmonum,
Bellator invincibilis.
Qui nobilis victoriis.
Plaudens migraſti è corpore
Adverſus infernalium.
Tentationes hoſtium,
Nobis adſis fortiſſimum,

In morte propugnaculum.

Antiph. Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata.

Gloriosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

OBLATIO.

HÆc tibi dicamus Borgia
Præconiorum carmina,
His te polorum principem,
Terræque jubar extollimus
Præsta tu's virtutibus,
Ut vita nostra fulgeat,
Eâdem ut inter cælites
Tecum micemus gloriâ.

EX-

EXERCITIUM DECIMUM-TERTIUM.

In Beatum STANISLAUM KOSTKAM. Soc. JESU.

Vita B. STANISLAI KOSTCÆ.

PLane materno adhuc ex utero in Societatem JESU vocatus esse videtur, dum splendentibus Nominis JESU radiis in utero circumfusus, antequam in lucem prodiisset Matri suæ ap-

paruit

paruit, teste Gyagnino. Illibatum Virginitatis florem & innocentiam, nulla gravi labe contaminatam, secum ad Religionem, ac inde brevi ad cœlum tulit, prout ejusdem in spiritu Magistri, Ruizius & Julius Fatius affirmarunt. Hanc ejus innocentiam honoravit cœlum, cùm bis Angelos misit, qui Stanislaum Pane Angelorum reficerent. Honorarunt etiam elementa, cum ignis aliquando cervicalia Stanislai decumbentis capiti subjecta aggressus, caput tamen non attigit. Solum exhorruit infernus, atque ille Erebi canis, qui ægrotantem Stanislaum ter frustra insiliit, ter ab eodem crucis signo fugatus.

Angelica ejus puritas, nec verbum audire potuit honestati adversum. Itaque ad paternam

mensem, si quid liberiùs ab aliquo hospitum proponeretur, illico versis in cælum oculis Stanislaus veluti exanimis, sub mensam delabi, à fratre suo Paulo non semel observatus est. Modestia, & omnium affectuum moderatio singularis in eo fuit, ut nihil in eo puerile, sed omnia matura, signum iracundiæ nullum compertum sit.

Amor Orationis quantus! quam non interdiu tantùm in abditis ædium recessibus, sed noctu etiam in alto rerum omnium silentio, positis humi genibus, aut prono stratus corpore, prolixam faciebat. Mensæ quin assidens, sæpe sibi pænè immemor, rerum Divinarum gustu mentem pascebat. quotidie binis ternisve sacris, festo autem die, pluribus intererat, & quidem nixus genibus corpore

im-

immotus, oculis decorè demiſſis, manibus ante pectus compoſitis, non raro etiam à ſenſibus abſtractus. Diviniſſimum Sacramentum quotidie ante initium, & poſt finem ſcholarum inviſebat, idemque ſumebat, Viennæ ſtudens quavis hebdomadâ, pridie cœnâ abſtinendo.

In DEI Matrem quanta fuit pietas Stanislai; eam Matrem ſuam appellabat: ab ea benedictionem converſus ad templum, quidquid agendum erat, poſtulabat. Ejus encomia inter ſcholaſticas exercitationes ſibi tractāda aſſumebat, omnesque ſcriptionis ſuæ paginas illa oratione implebat: *O MARIA ſis mihi propitia!* & novos ſemper & magnificos inveniebat titulos. Ejus Roſarium aut pios libellos, extra tempus

bus studendi, perpetuò versabat manibus, demum in longo illo ac molesto itinere, sicubi Imaginem Deiparæ conspexisset, nusquam reliquit insalutatam. Itaque ipso die Virginis assumptæ, cum paucis ante diebus, per suum Patronum Laurentium, literas ad eam scripsisset, quibus postulabat, ut sibi spectatorem triumphi ipsius in cœlo adesse liceret, mille osculis Imaginis Deiparæ impressis, Rosarium manu tenens in honorem, ut dicebat, suæ Matris. Eandemque tunc (ut aliqui putarunt) præsentem intuitus, ad ejus complexum feliciter abiit, Romæ in Domo Probationis Societatis JESU 1568. ætatis suæ 18. decem mensibus in Societate transactis quam tam ardenter expetiit, ac etiam per tot viarum spatia Vien-
na

nâ usque Delingam, hinc deinde Romam quæsivit, à qua denique paternis literis minarum probrorumque plenis, avocari non potuit. Ut proinde immane mendacium sit, à quibusdam malevolis in hoc regno, contumeliosè confictum, Beatum Stanislaum extra Societatem, dimissum, in aliquo Xenodochio Romæ obiisse; cum tamen de hoc Romæ, nulla suspicio fuerit, ut ipse ibi exploratum habui: & nuper Clemens X. in Bulla, qua huic Beato Sacrum concessit, Pontificio Oraculo testetur, eum esse Societatis JESU, ac proinde è Societate JESU, non dimissum.

OF-

OFFICIUM B. STANISLAI KOSTKA, Soc. JESU.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEus in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
℣. Gloria Patri, &c.
℟. Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

LUx nata super Sarmatis.
Amorque nostri climatis:
Salve Beate Kostule,
Cælestis horti flosculе,
Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni.

Cui

Cui benedixit Dominus.

℣. Domine exaudi Orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DEus, qui per Angelicas manus B. Stanislaum Kostkam Confessorem tuum, sacro Filii tui Corpore dulciter satiasti: concede propitius, ut per ejus intercessionem, eundem Filium tuum, quem nunc per fidem, in admirabili Sacramento veneramur & sumimus, revelatâ facie in cœlos contemplari valeamus. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

AD PRIMAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra in Matutino.*

HYMNUS.

DElicium magni Patris,

Sua-

Suaviolum Magnæ Matris.
Unum præsta ut cor meum.
Quidquid velit, volet DEum.
Puer parvulus; & ipsum solum habet Mater sua.
Pater vero tenerè diligit eum.
Domine exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut supra,

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra in Matutino.*

HYMNUS.

FLammis supernis æstuas,
Nobis calores impluas,
Non unda flamma temperet
Ignis medullas concremet,
Aquæ multæ non poterant extinguere charitatem;
Nec flumina obruere illam,
Domine exaudi orationem meam,

Et

Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

DEus in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

JUbar repandis aureum,
Stillas liquorem melleum,
Guttam mitte sitienti,
Et quem stringis da poscenti.
Quasi flos rosarum in diebus vernis.
Et quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut supra.

AD NONAM.

DEus in adjutorium, &c.
Domine ad adjuvandum &c.

Glo-

Gloria Patri, & Filio &c.
Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

ARridet Æther gaudiis,
Tuisque plaudit basiis.
Quas Angelorum manibus.
Sumis, nos pasce frugibus,
Panem cæli dedit eis,
Panem Angelorum manducavit homo.
Domine exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

℣. DEus in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

HYMNUS.

PEr tuum Virgo flosculum
Per tuum JESU Kostulum

T Tuâ

Tuâ nos gratiâ muni,
Et Patri æterno uni.
Fulcire me floribus stipate me malis
Quia amore langueo.
Domine exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos DEus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
℣. DEus in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

O Kostka Christi gemmula,
Cæli micantis flammula,
JESUM da meis fletibus,
Da Dominum gemitibus.
Consummatus in brevi explevit tempora multa. Placi-

Placita enim erat DEO anima illius.
℣. Domine exaudi orationem &c.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut supra.

LITANIÆ
De
B. STANISLAO KOSTKA.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos,
Pater de Cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEUS, Miſerere
Sancta Trinitas unus DEus, Miſerere nobis.

Sancta MARIA,
Sancte Pater Ignati,
Beate Stanislae Koſtka,
Fili Matris Divinæ amantiſſime,
Seraphine ardentiſſime,
Exul feliciſſime,
Conſtans Div: vocat. amator,
Contemptor deliciarum,
Juvenis Angelice,
Bajule Chriſti,
Exemplar juventutis,
Salus debilium,
Vita agonizantium,
Miles Chriſti fortiſſime,
Victor Erebi potentiſſime,
Imago profundæ cõtẽplationis,
Fulcrum labentis Patriæ,
Magnes cordium, cæleſtium,
Meta noſtri deſiderii,
Idæa humilitatis,
Speculum ſanctitatis,
Conviva menſæ cæleſtis,

Ora pro nobis.

Spes

Spes noſtra,
Victor mundi,
Fortunatum naufragantis Patriæ promontorium,
Compendium miraculorum,
Vitæ emendatio,
Flamma amoris Divini,
Patrone mundi totius,
Gloria Societatis JESU,
Fulmen Turcarum,
Claſſicum triumphale Militiæ Polonæ.

Ora pro nobis.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI &c. Exaudi nos D.
Agnus DEI &c. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Ora pro nobis B. Stanislae Kostka.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

DEUS, qui Beatum Stanislaum Kostkam inter primos Patronos nostræ Patriæ statuisti, præsta misericorditer ut illius intercessione muniti, ab omnibus hujus vitæ periculis liberi, æternam consequamur tranquillitatẽ. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

ORA-

ORATIONES
variæ decerptæ.

ORATIO I.

DEUS Sapientissime, & optime, qui vocas ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, B. Stanislaum Kostkam à primis annis ad Tui cognitionem, amoremque admirabiliter evocasti: da mihi ipsius intercessione: ut qui malè vivendo primæ ætatis florem perdidi, saltem in posterum te perfectiùs nosse & magis seriò, (serò licet) amare incipiam: mores ad gravitatem, verecundiamque Christianam conformem, filii tui bonus odor sim: quævis verò, ac mortem ipsam pati malim: quàm ut te graviùs offendam per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

ORA-

ORATIO II.

DEUS, qui puerum tibi dilectum, B. Stanislaum Kostkam è paternâ domo eductum in ſapientiæ hortulis ab optimis moderatoribus, inter bonos, inſtrui voluiſti, indeq; avulſum Lilium etiam inter ipſas improbitatis ſpinas illæſum ſingulari gratiâ conſervaſti, atque Chriſti Filii tui bonum odorem eſſe feciſti, da mihi, ipſius interceſſione, cæleſtis ſapientiæ, ſanctæque converſationis donum: ut inter bonos melior ſemper evadam: inter malos verô in tuo ſervitio conſtanter perſeverem. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

ORATIO III.

DEUS munificentiſſime, fons bonorum omnium, qui in

B.

B. Stanislaum cum sapientiæ studio gratiarum tuarum dona copiosissimè effudisti: da mihi, ut ipsius exemplo, literarum simul, sic magis virtutum studiis incumbens floream quasi lilium, demque Christi bonum odorem, ac maxime frondeam in gratiam patientiæ, atq; humilitatis, quò injurias ferre potiùs, quàm inferre velim, Religionis ac pietatis, quâ tibi manè, vesperi, per diem servire, & obsequi studeam: da porrò, ut te in Eucharistia, sincera fide agnoscam, atque adorem & magnâ puritate, ardenti desiderio, atq; charitate suscipiam; denique sic in Virginis Matris tuæ, & Patronæ Martyris Barbaræ patrocinio vivam: ut omni tempore ad bene, feliciterque moriendum me comparem: Per

Christum Dominum nostrum, Amen.

ORATIO IV.

OMnipotens & Sempiterne DEUS, qui per Angelicas manus B. Stanislaum Kostkam Sacro Filii tui corpore dulciter, & admirabiliter satiasti: concede propitius: ut ipsius Beati Tui servi intercessione eundem Filium tuum in vitâ sæpius, & in periculo mortis, contra Tartarei hostis insidias, atque assultus, pro Viatico sumere possim, & quem jam per fidem in venerabili Sacramento veneror, revelatâ aliquando facie in cœlis contemplari merear, per eundem Dominum nostrum JESUM Christum, Amen.

ORA-

ORATIO V.

O Immensum omnium bonorum mare, DEUS meus, ad quem B. Stanislaus Kostka spretis mundi honoribus, carnisque deliciis, ac Parentum minis contemptis, per ignotas plagas fugiens, tanquam sitibundus cervus, ad vivum perennis vitæ fontem anhelavit: ingere eandem sitim pectori meo; & ipsius intercessione præsta: ut contemptis similiter vitæ hujus caducæ rebus, ad te unicum animæ bonum incessanter curram, donec tuo beatissimo conspectu perfruar: Per Dominum nostrum JESUM Christum, Amen.

ORATIO VI.

O Mnipotens, & benignissime DEUS, qui B. Stanisla-

um Koſtkam à ſæculari vitâ ad Filii tui Religioſam Societatem, ad tibi ſerviendum, Iuvenem adhuc evocaſti: da ut ad ipſius imitationem perfectionis ſaltem Chriſtianæ, & aliquam vitæ religioſæ umbram conſecter, modeſtia, & bonæ converſationis exemplo proximis præluceam, mortificatione corpus reprimam, mentem rerum divinarum ſtudio, & cura exornem; te verò, omne bonum meum, plusquam meos Parentes, quàm me ipſum æſtimem, atque ita B. Stanislai Confeſſoris tui veſtigiis inſiſtens atque inſequens in terris, illum aliquando, teque ipſum, Beatitudinem meam aſſequar in cœlis. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum,

Amen.

ORA-

ORATIO VII.

DEUS, qui Beatum Stanislaum Koſtkam primæ noſtræ ætatis ſublimem Patronum vitæ ſanctitate, & mirarum rerum gloriâ illuſtrem feciſti: da, ut ejus exemplis commoti in veris virtutibus creſcamus in hac vitâ, & in alterâ, ipſius interceſſione, promiſſa benè viventibus, ac morientibus præmia in cœlo conſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

EXERCITIUM DECIMUM-QUARTUM.

In Beatum ALOYSIUM, Societatis JESU.

Vita B. ALOYSII GONZAGÆ.

IS Patre, Imperii Principe, & Castilionis Marchione natus, septimum ætatis annum, suæ ad DEUM conversionis tempus appellabat, eâ constantiâ, nunc jam feliciter inchoatæ, ut deinceps, (prout quatuor fide digni ejus Confessarii affirmarunt) nunquam se à DEO per mortale peccatum averteret. Novennis adhuc

adhuc, Florentiæ ante Imaginem Virginis ab Angelo salutatæ, perpetuo Virginitatis voto se obstrinxit, tam perfectè semper observato, ut illud testari potuerit Sacra Romana Rota: *Aloysius nunquam stimulum carnis passus est, nec cogitationem ullam impuram in mente habuit.*

Temperantia planè fuit admirabilis. Nam præter alia extraordinaria jejunia, singulis hebdomadis, feria sexta, & Sabbatho, ac etiam sæpè feriâ quartâ, solo pane & aqua contentus vivebat. Ter imprimis per hebdomadam: ac deinde in ultimis in sæculo annis; die quolibet semel: postremo ter de die, seu flagellis, seu loris, seu ferreâ catenulâ, seipsum cædendo cruentabat. Sæpè asserem sibi dormienti supponebat.

nebat. Sæpè loco cilicii acutis calcaribus tenerum corpus ſtringebat.

De ſtudio orandi quid dicam? Mane quolibet, ultra prolixas vocales orationes, rerum ſacrarum meditationi unam horam dabat; veſperi autem quandoque duas. Nec his contentus, nocte mediâ aliis quieſcentibus, è lecto ſurgebat, & ſolo induſio etiam inter hyemis rigores tectus, ac præ frigore tremens, per aliquot horas, genibus flexis meditationi vacabat: ut quandoque præ corporis debilitate, in terram prolapſus jacensque orationem finiret. Ab hac porro conſvetudine orandi, non deſtitit Aloyſius, etiam in Aula Regis Hiſpaniarum biennio degens, ubi in abditos receſſus fugiendo quin-

quinque horas cælestium rerum contemplationi impendebat. Modum ac frequentiam Sacræ Communionis à Sancto Carolo Borromæo edoctus, ea teneritudine animi, diebus festis usurpabat, ut in lacrymas ubertimas sæpè solveretur, à quibus etiam, diebus profestis, sacrum audiens, post elevatam Sacram Hostiam, sibi temperare non poterat. Hac verò pietate insignem illum promeruit DEI Matris favorem, cum de statu vitæ deliberans, die Assumptionis DEIparæ sacra peracta ad hanc intentionem Communione, illam Madriti, à Pretiosissima Parente audivit vocem: *Ingredere Societatem Filii mei.* Quam ut ingrederetur, incredibile dictu est, quantas Patris iras, quæ obsta-

cula

cula, toto triennio fortiſſimè ſuperavit. Qualem verò in Societate vitam, egerit, quam pretioſa morte, brevi coronatam, non eſt propoſiti mei referre, qui Aloyſium nondum Religioſum, ſed adoleſcentem adhuc in tenera ætate, in aulis Regum, inter Principum delicias, Sodalibus propono. *Ex Virgilio Cepario.*

OFFICIUM B. ALOYSII GONZAGA, Soc: JESU.

AD MATUTINUM.

DOmine labia mea aperies, ℣. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

DEus

DEUS in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

CAnduit noster Ludovicus illâ
Mente, qua semper fuit innocenti,
Ut suo crispæ niveo bidentes
Vellere candent.

ANTIPHONA.

ALoysi Conzagarum decus, honor juventutis, Societatis ornamentum, castitatis lilium, flos obedientiæ, paupertatis viola, rosa verecundiæ, virtutum omnium

mnium millefolium, fac ut qui brevi vitæ compendio, grandævæ ætatis perfectionem comprehendisti, te hic imitemur, & ibi laudemus in sempiternum.

Consummatus in brevi explevit tempora multa,

Placita enim erat DEO anima illius.

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filii tui vocare dignatus es largire quæsumus ut quem columbinæ innocentiæ jubar imitamur in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis: Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD

AD PRIMAM.

Eus in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum &c.
loria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in Principio &c.

HYMNUS.

Ilium plusquàm nivei coloris
Integræ vivo tibi castitatis.
emper ex largis oculis refuso
Floruit imbre.
Aloysi Gonzagarum &c. *ut*
pra.

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam, in Societatem ilii tui vocare dignatus es: larire quæsumus, ut quem Angecæ castitatis speculum esse vidiuś in terris, ejus gloriæ particies fieri mereamur in cælis. Per hristum Dominum nostrū, Am.

AD

AD TERTIAM.

DEus in adjutorium &c.

Domine ad adjuvandum &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

CAlcar in molles penetravit artus,
Sæpius, quando minimè rebellem.
Pinxit armatis laqueis vocata,
Purpura carnem.
Aloysi Gonzagarum &c. *ut supra.*

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filii tui vocare dignatus es: largire quæsumus, ut quem severum sui corporis vindicem colimus in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per

Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD SEXTAM.

DEus in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

CUm spopondisset Diadema mundus
Sceptra cum dives regio dedisset.
Sceptra Gonzaga & Diadema, vanas
Credidit umbras.
Aloysi Gonzagarum &c. *ut supra,*

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium ad Majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filii tui vocare dignatus es: lar-

gire

gire quæsumus, ut quem nobis voluntariæ paupertatis ideam proponimus in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD NONAM.

DEus in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

HYMNUS.

VEluti massam figulus sequentem,
Fingit in quam vult agitare formam.
Ductilem, sic te poterant superni
Flectere nutus.
Aloysi Gonzagarum &c. *ut supra.*

ORA-

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam in Societatem filii tui vocare dignatus es; largire quæsumus ut quem nobis ... æ obedientiæ exemplar dedisti in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

AD VESPERAS.

DEus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c.

HYMNUS.

CUm fatigabas precibus beatos.

Et piæ terram lachrymæ rigabã
Visus es crebro, quasi raptus, ipsum
Cernere Numen.
Aloysi Gonzagarum decus, &c. *ut supra.*

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filii tui vocare dignatus es: largire quæsumus, ut qui nobis Divinæ contemplationis specimen præstitit in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cœlis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos DEus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
DEus in adjutorium, &c.

Domi-

Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

CEssit è vivis Ludovicus omni
Rite virtutum specie decorus.
Magna virtutum series beatæ,
Tessera vitæ.
Aloysi Gonzagarum, &c. *ut supra.*

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filii tui vocare dignatus es: præsta quæsumus, ut quem optimarum v rtutum Magistrum habuimus in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis, Per Christum Dominum nostrũ, Amen.

OBLATIO.

HOc tibi nostrum Ludovice carmen,

Debito conor recitare voto,
Ut malum nobis medico propinquum,
Pollice pellas.

℣. Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia.

℟. Oleum effusum Aloysi nomen tuum, Adolescentuli dilexerunt te nimis.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui Beatum Aloysium in Societate Filii tui JESU, gratiâ contemplationis, & sanctimoniæ candore admirabili exornasti. Præsta quæsumus, ut ejus celebrantes memoriam apud Te, tuam exactam Numinis cogitationem, & puritatis inviolabilem assequamur gloriam. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

O Be-

O Beatissime Aloysi, Sancte
dolescens, ô magne mundi vi-
or, atque contemptor, quem
urissimis castitatis insignitum
is, omnes fines lætabundâ vo-
e decantant atque commẽdant.
bsecro te toto cordis affectu,
npetra mihi quod potes à Deo,
urissimæ castitatis & perfectæ
umilitatis, sinceritate, JESU
hristo Domino meo deservire.

DEus, qui Beatum Aloysium
amulum tuum, per totum vitæ
empus ab omnium turpium co-
itationum & mortiferæ culpæ
aculâ liberasti, ut perfecto tibi
more deserviret, quæsumus, ut
os ei similes facias, munere, &
more. Per Christum Domi-
um nostrum, Amen.

EXERCITIUM DECIMUM QUINTUM.

OFFICIUM PARVUM *BB. TRIUM MARTYRUM Iaponensium* JOANNIS, PAULI & JACOBI, Soc. JESU.

Momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

AD MATUTINUM.

DOmine labia mea aperies, Et os meum annuntiabit laudem tuam.

DEus

DEUS in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

FOrtes avete milites,
Quorum cruore Japones,
Et purpurascit inclytæ,
Ager ferax Ecclesiæ,
Vestro hunc rigate sanguine,
Terramque cordis aridam,
Fæcunda fructus proferat,
Quos horreis cæli inferat,

ANTIPHONA.

Justorum animæ in manu DEI sunt, & non tanget illas tormentum malitiæ; visi

oculis insipientium
mori illi autem sunt in pace.
Nos autem oportet gloriari
in Cruce Domini JEsu.
Per quem nobis mundus crucifixus est, & nos mundo.

ORATIO.

DEUS, qui Beatos Martyres tuos Joannem, Paulum, & Jacobum; Martyrii gloria decorasti, concede quæsumus, ut quorum gloriæ coronam in cælis veneramur; eorum Fortitudinis exemplum & passionis constantiam imitemur in terris. Per Dominum nostrum &c.

AD PRIMAM.

DEus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri & Filio, &c.

HY-

HYMNUS.

O Lata amoris viſcera!
O charitatis pectora!
Quæ non Tyranni vincula
Stringere valent aut verba.
Per veſtra ſolvi vincula
Noxas rogamus criminum,
Mens ut beatis libere,
Cæli fruatur ſedibus.
Nos autem oportet, &c.

Oratio ut ſupra.

AD TERTIAM.

DEus in adjutorium meum, &c.
Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

AD carceres, ad Judices,
Læti trahuntur Martyres,
In vinculis, in carcere,
DEum fatentur jugiter
Confeſſione ſupplices
Veſtra precamur Martyres:

Numen quod ore credimus,
Noſtris fateamur moribus.
Nos autem oportet, &c.
AD SEXTAM.
DEus in adjutorium meum, &c.
Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
HYMNUS.
FAme premuntur viſcera
Sitique fauces aſperâ,
Cæli tamen mens gaudiis
Solatiisque paſcitur.
Sitim, famemque pellite,
Manna ſupernum promite,
Vitæ perennis rivulos,
Deſideratos fundite.
Nos autem oportet, &c.
Oratio ut ſupra.
AD NONAM.
DEus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HIMNUS.

NAres & aures, impie
Tibi Tyranne tollito,
Mens verba Sponsi percipit,
Melosque gratum personat,
Vitæ relictis gaudiis,
Christo vocanti obtemperat,
Mundus vilescit, desipit
Christusq; solus perplacet,
Nos autem oportet, &c.

Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

DEus in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

GRatam DEO se victimam,
In stipite crucis consecrant
Ut veriores asseclæ
Christi sui sint Principis,
Nobis supremo à Numine.

Constantiam deposcite
Crucem ut feramus alacriter.
Nos autem oportet, &c.
Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos DEus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
DEus in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c:
Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

O Gloriosi Martyres,
Vestrum, polorum Principi,
Cruore fuso spiritum.
Qui reddidistis ultimum,
Cor nostrum amoris speculo.
Offerte Christo saucium,
In spiritu vitæ ultimo
Opemque nobis mittite,
Nos autem oportet, &c.
Oratio ut supra. Obla-

OBLATIO

HOc gratulamur carmine.
Vobis triumphum Martyres
Et purpuratam sanguine,
Vobis vovemus lauream,
Vitæ peracto Termino.
Vestro omniumque Cœlitum
Ut perfrui consortio,
Nobis liceat in sæcula, Amen.

OREMUS.

DEUS, qui Beatos Martyres tuos Joannem, Paulum & Jacobum Martyrii gloria decorasti, concede quæsumus; ut quorum gloriæ coronam in cælis veneramur; eorum fortitudinis exemplum, & Passionis constantiam imitemur in terris. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat. DEus in sæcula sæculorum, Amen.

EXER-

EXERCITIUM DECIMUM SEXTUM.

OFFICIUM De Beato JOANNE FRANCISCO REGIS Societatis JESU.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
DEus in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.
Sicut erat in principio, &c.

HYMNUS.

SAlve Francifce Regis,
Meæ amor animæ,

Divinæ cultor legis,
JEsu comes optimè.
Artes veneficarum
In cunis elusisti,
A telis me noxarum
Serva, & casu tristi.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas,
℟. Et ostendit illi Regnum DEI.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DEUS, qui ad plurimos pro salute animarum perferēdos labores, Beatum Joannem Franciscum, Confessorem, tuum mirabili charitate, & invictâ patiētiâ decorâsti, concede propitius, ut ejus exemplis instructi, & intercessionibus adjuti æternæ vitæ præmia consequantur. Per Domi-

Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus S. DEus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat

℣. Benedicamus Domino,

℟. DEO gratias.

℣. Et fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

DEus in adjutorium, &c.

Domine ad adjuvandum, &c.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve virtutum decor,
Exemplar pietatis,
Impetra Dive precor
Amorem ſanctitatis.

Tu

Tu Pater pupillorum,
Tu puritatis ara,
Oro ſtipem, ut morum
Sectet quæque præclara.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Domine exaudi &c. *ut ſupra.*

Oratio ut ſupra.

DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

SAlve qui proſtitutæ
Zelo ductus animæ,
Illius pro ſalute,
Tractatus aſperrimè,
Impetra cor zeloſum
Devotum pietati,
Sit mihi glorioſum
Pro DEO multa pati.

℣. Os juſti meditabitur ſapientiam:

℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Domi-

Domine exaudi &c. *ut supra.*
Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

DEus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve ô contemplator
Trinitatis optime.
Et jugis venerator
Aræ Divinissimæ.
Pervigil exorator
DEI, ad templi limen,
Fac, mihi ut Creator
Omne condonet crimen.

℣. Lex DEI ejus in corde ipsius,
℟. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Domine exaudi &c. *ut supra.*
Oratio ut supra.

AD NONAM.

DEus in adjutorium &c.

HYM-

HYMNVS.

SAlve inimicorum
Benefactor maximè,
Domibus pulſus horum
Quos colebas optimè.
ovilor inſperate
Pellens famem portentis,
Ne cibo, fac, beatæ
Priver in morte, mentis.

Gloria & honore coronaſti eum Domine.

Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

omine exaudi &c.

Oratio ut ſupra.

AD VESPERAS.

Eus in adjutorium &c.

HYMNVS.

SAlve Pauperculorum
Doctor amantiſſimè,
Orci & vitiorum
Inſectator maxime,

Letha-

Lethalis insons mali,
Futurorum præscius,
Fac, liber à mortali
Culpâ vivam sanctius.
℣. Justus ut palma florebit
℟. Sicut Cedrus Libani multiplicabitur.
Domine exaudi &c.
Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM

Converte nos DEus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
DEus in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

SAlve famæ contemptor,
Norma humilitatis,
In via comprehensor
Crederis sanctitatis.

O miles

O miles indefesse
Qui moreris laborans,
Animæ morbis, presse
Subveni, Numen orans.
Ora pro nobis Beate Joannes Francisce,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DEUS, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores, Beatũ Joannem Franciscum Conf. florem tuum mirabili charitate, & invicta patientia decorasti; concede propitius ut ejus exemplis instructi, & intercessionibus adjuti æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus San-

cti DEus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum, Amen.



EX-

EXERCITIUM)ECIMUM SEPTIMUM.

NOVENNA,

Vel modus colendi S. Antonium de Padua per novem dies Martis.

Quanta misericors DEUS quotidie per S. Antonium beneficia ncedat afflictis, id ipsum expeentiâ didicêre, qui piis obsequi, & maximè frequentata per noem dies Martis Devotione Beatisnum hunc Confessorem sibi devinre studuerunt.

Experta est ante omnes, Bonıæ in Italia nobilis illa Matrona

na; quæ anno ſalutis 1617. hac devotione; ipſo Sancto eam monente, primum utens gratiam obtinuit ſingularem. Hæc viginti jam duos annos in matrimonio infæcunda dum vero lachrymis, precibusq; frequentibus pro obtinenda prole ſupplicat, in ſomno eundem multo lumine coruſcum videt & ſibi dicentem audit: imaginem meam in Fratrum Minorum Eccleſia novem diebus Martis viſitans gratiam, quam petis, impetrabis. *Paret mulier, & concipit ex marito. Sed ille tot annis ſterilem, nunc gravidam uxorem de adulterii crimine ſuſpectam, miſerè habet. Interea accedente partûs tempore parit mulier monſtrum potius quàm hominem. Sed ô rem omnibus retro ſæculis inauditam! dum monſtrum hoc fa-*

sciis involutum; & ad altare S. Antonii delatum pia Mater eidem devotissimis precibus commendat, primo infantis cujusdam vox auditur ex fasciis cum monstro depositis, & hisce mox explicatis formosa proles reperta est. Cujus rei fama dum Italiam pervagatur, devotioni huic quâ per novem Martis dies S. Antonius colitur, initium dedit. Vnde nunc Christianorum quam plurimi, ut ab imminentium vel etiam præsentium miseriarum acerbitate liberentur, aut beneficium aliquod tum corporale, tum spirituale impetrent, tam salutari vacant devotioni.

Vis & tu, Benevole Lector, à S. Viro auxilium in tribulatione, novem diebus Martis, altare, aut imaginem ejus in templo Franciscanorum invise, officium ejus, vel

Litanias, prout devotio tibi suggerit, recita & quam gloriosus sit in Sancto suo DEus, experieris; ut facilius patrocinante Divo, clementiam Numinis tibi concilies, confessio svadetur & Communio ad minimum in principio, medio, & quoties gravioris delicti ream inveneris conscientiam.

OFFICIUM

AD MATUTINUM.

ECce Crucem Domini ✠ fugite partes adversæ. Vicit Leo de tribu Juda, radix David Alleluja.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Alleluja vel Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

TUa festa tua gesta,
O Antoni celebrat
Urbis lætus nostræ cœtus;
Tota tellus jubilat.
Quo concive, mentes divæ:
Cœlitum per atria
Gaudent grato Advocato
Nostra plaudit patria
Quidni plaudat? quæ te laudat
Toto Cordis jubilo,
Lætiore psallit ore

Absque mentis nubilo,
Eſt experta fide certa
Quam ſe pie diligas,
JEsum quando deprecando
Ei reconcilias.
Unitati, Trinitati.
Sit perennis gloria,
Incarnati DEI nati
Perpes ſit memoria, Amen.

ANTIPHONA.

O Proles Hiſpaniæ, pavor infidelium, nova lux Italiæ, nobile depoſitum urbis Padvanæ, fer Antoni gratiæ Chriſti patrocinium, ne prolapſis, veniæ tempus brevè creditum defluat inane.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas,

℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

OREMUS.

Omni-

OMnipotens sempiterne DEUS, qui B. Antonium confessorem tuorum Sanctorum gloriâ sublimasti, & in nomine ejus petentibus postulata concedis: tribue quæsumus, ut qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

DEus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

QUis profundis mersus undis
Per nefanda crimina,
Clamat pressus, pulsat fessus
Gratiarum limina;
Qui non JEsus, quamvis læsus,

Te rogante aperit.
Quisquis dolet, quidquid volet,
Te juvante reperit,
Unitati, &c.

ANTIPHONA.

COnterit miraculis peccatorum dentes, Sponſam Chriſti patulis rictibus mordentes.

℣. Juſtus ut palma florebit.

℟. Sicut Cedrus Libani multiplicabitur.

Oremus ut ſupra.

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium, &c.

℟. Domine ad adjuvandum &c.

HYMNUS.

QUis amaras fert ad aras
Tuas, nubes pectoris?
Quis fert duras mentis curas,
Quis languores corporis?
Quem non duce JEsu, luce,

Quâ nites, illuminas ;
is levamen, fers ſolamen
Nubes pellis turbidas,
itati &c.

ANTIPHONA.

TOtus in te ſitiens DEUS ad te vigilans extitit de luce: fons indeficiens, tu lux illi ruans, qui ſitis in cruce.

Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

Stolam gloriæ induit eum.

Oremus ut ſupra.

DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

NUnquam bellæ jubar ſtellæ,
Sic è Cælis emicat,
ed nec tota ſolis rota
Ita flammas explicat,
t mæroris, & doloris.
Nubes fugat, inclitus,
uce gratâ cælis datâ.

Fulgens sol Antonius.

Unitati &c.

ANTIPHONA.

CÆli, terræ, benedicant Dominum cunctæ creaturæ, qui tot per Antonium signis auget hominum vitæ spem.

℣. Os Justi meditabitur sapientiam,

℟. Et lingua ejus loquetur justitiam.

Oremus ut supra.

AD NONAM.

DEus in adjutorium &c.

Domine ad adjuvandum &c.

HYMNUS.

QUisquis orat, dum implorat
JEsum per Antonium,
Illi datur, quod rogatur,
Si quis pulsat ostium,
Reseratur, dum precatur,
Nemo mæstus abiit,

Qui

Qui gemente voce, mente,
Servum DEI adiit.
Nitra &c.

ANTIPHONA.

SOno tubæ, tympano, cythara psalterio, cimbalisque, DEum choro, choreis, organo, laudet in Antonio mysticè.

℣. Lex DEI ejus in corde ipsius
℟. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Oremus ut supra.

AD VESPERAS.

℣. DEus in adjutorium &c.
℟. Domine ad adjuvandum, &c.

HYMNUS.

O Mi DEus Amor meus.
O JEsu dulcissime
Destitutis spe salutis
Consolator optime,
Tu splendore clariore.
Jllustra Antonium.

Et peracta mire facta
Efficis prodigium
Unitati, &c.

ANTIPHONA.

O Lingua benedicta, quæ Dominum semper benedixisti & alios benedicere fecisti, hic manifeste apparet quanti meriti apud DEum extitisti.

℣. Gloria & honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oremus ut supra.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos DEus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. DEus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, &c.

HY-

HYMNUS.

PEr hunc bona nobis dona,
Tuæ confer gratiæ,
Per quam tui detur frui
Nobis vultûs facie,
Et translati, cum beati
Fausto cœtu agminis
Te amemus, te laudemus,
Sempiternis canticis.
Trinitati, &c.

ANTIPHONA.

NObis fac propitium, à quo recepisti cordis desiderium Vitam, quam petisti.

℣. Ora pro nobis beate Antoni,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus ut supra.

COMMENDATIO.

O Antoni, JEsu boni
Serve fidelissime,
Quo nunc gaudes, hasce laudes

Mitis â me ſuſcipe,
Rogo JEsum, per me læſum,
Ut dimittat crimina.
Quo finitâ carnis vitâ
Cæli ſcandam limina, Amen.

Oratio ad S. Antonium.

O Prædicator zeloſiſſime, Sancte Antoni! qui peccatorum omnium converſionem anxiè quæſiviſti, te interpello devotiſſimè, corpus meum, ab omni macula, lepra, vulnere, & epidemia, animam verò ab omni peccati mortalis infectione & reatu conſerves, omnemque peccandi occaſionem ac conſuetudinem à me amoveas. Amen.

LITA-

LITANIÆ S. ANTONII De PADVA.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos,
Pater de cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEUS, Miſerere:
Sancta Trinitas unus DEUS, Miſerere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
S. Antoni Paduane,
Vir Apoſtolice,

Gloria Ordinis,
Amator caſtitatis,
Sectator paupertatis,
Fili obedientiæ,
Speculum continentiæ,
Vas puritatis,
Stella Sanctitatis,
Flamma charitatis,
Roſa patientiæ,
Columna Eccleſiæ,
Arca Teſtamenti,
Doctor veritatis,
Prædicator gratiæ,
Extirpator criminum,
Everſor hæreſum,
Pavor infidelium,
Zelator animarum,
Martyr deſiderio,
Vates futurorum,
Terror dæmonum,
Suſcitator mortuorum,
Conſolator afflictorum

Ora pro nobis.

Reſti-

Restitutor rerum perditarum,
Jugis patrator miraculorum,
Noster dulcissime Pater, Protector, & Patrone, Ora pro:
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine,
Ab omni malo, Libera nos Dom.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A peste fame & bello,
A fulgure & tempestate.
A subitanea & improvisa & mala morte,
A morte perpetua,
Per merita S. Antonii,
Per ardentissimam ejus charitatem,
Per ejus zelum convertendi peccatores,

Libera nos Domine.

Per

Per ejus desiderium martyrii,
Per omne quidquid tuâ gratiâ
tibi placitum egit,
In die judicii,
Peccatores. Te rogamus audi:
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos
perducere digneris,
Ut divini amoris ignem in no
bis accendas,
Ut mentes nostras ad cœlestia
desideria erigas,
Ut intercessionis & meritorum
B. Antonii nos efficias par-
ticipes,
Te rogamus audi nos.
Ut omnibus ad eum confugi-
entibus, mentis & corporis
salutem tribuas,
Agnus DEI, qui tollis peccata
mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata
mundi

mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. *Pater noster &c.*

Et ne nos inducas in tentationem

Sed libera nos à malo.

℣. Ora pro nobis Beate Antoni.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

OMnipotens æterne DEus, qui Sanctorum tuorum splendor es admirabilis, inter quos S. Antonium perpetuis miraculorum splendoribus illustratum, quasi lucernam ardentem in Ecclesia constituisti: te supplices exoramus; ùt solutis peccatorum vinculis ejus meritorum nos participe-

ticipes efficias, & post mortalis vitæ cursum ad gaudia perducas æterna. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

RESPONSORIUM.

In Miraculorum B. Antonii memoriam; à S. Bonaventura compositum.

SI quæris miracula: mors, error calamitas, dæmon, lepra fugiunt, surgunt ægri sani: cedunt mare, vincula: membra, resque perditas petunt, & accipiunt juvenes & cani. ℣. Pereunt pericula, cessat & necessitas. Narrent hi qui sentiunt, dicant Paduani. Cedunt mare vincula: membra resque perditas petunt, & accipiunt juvenes & cani. Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto. Cedunt

nt mare vincula, membra,
ſque perditas petunt, & acci-
unt juvenes & cani.

Ora pro nobis B. Antoni,
Ut digni efficiamur promiſ-
ſionibus Chriſti.

OREMUS.

Mltiſſime ac clementiſſime JESU, qui B. Antonium onfeſſorem tuum perpetuis il-ſtras miraculorum ſplendoribus oncede propitius: ut quæ per jus merita fideliter petimus, per jus interceſſionem efficaciter onſequamur.

Qui vivis & regnas DEus in æcula ſæculorum, Amen.

EXER-

EXERCITIUM DECIMUM OCTAVUM.

In Beatum

JOANNEM NEPOMUCENUM.

OFFICIUM *DE* D. JOANNE NEPOMUCENO.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus Sabaoth, pleni sunt Cæli & Terra gloriâ tuâ.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies, &c.

DEus

DEus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri & Filio, &c.
Alleluja, vel: Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

ORbi Nepomucum dedit,
Te Joannes: suum credit
Patronum Bohemia,
In qua Tuæ Pietatis,
Admirandæ Sanctitatis,
Coruscant insignia.

℣. Domine nè elongaveris auxilium tuum à me.
℟. Ad defensionem meam conspice.

DEus cui debetur omnis honor & gloria per gloriosa merita S. Martyris tui Joannis Nepomuceni Te suppliciter exoro, ut

ro, ut omnem infamiam & cor
fusionem publicam undecunqu
mihi impendentem misericordi
ter avertere digneris, & conced
sic uti honore temporali, ut a
ternam confusionem evadere &
in Cœlesti gloria merear collo
cari. Per Dominum nostrum
JEsum Christum Filium tuum
qui ab æterna confusione, igno
miniosa morte Crucis, nos rede
mit, & nunc tecum vivit & re
gnat DEus in sæcula sæculorum
Amen.

AD PRIMAM.

DEus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Alleluja vel Laus tibi Domine
Rex æternæ gloriæ,

HYMNUS.

DEI Mater impetravit,
Quod sis mirè, procuravit
Natus

atus thoro ſterili.
Flammæ Cæli confirmârunt,
olem Sanctam Te monſtrârunt
Signo non fallibili.
Ad te Domine levavi animam
meam,
DEUS meus in Te confido
non erubeſcam.
Oratio ut ſupra.

AD TERTIAM.

Eus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c.
lleluja vel Laus tibi Domine
Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

VIx Sacerdos ordinatus,
Es ferventer mox zelatus,
olam DEI gloriam,
Divinum ſemen ſparſiſti,
opulos poſt Te traxiſti,
Per miram facundiam.
℣. Cuſtodi animã meã & erue me,
℟. Non

℟. Non erubescam quoniam speravi in te.

Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

DEus in adjutorium &c.
Gloria Patri, & Filio, &c:
Alleluja, vel: Laus tibi Domine.
Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

TE Reginæ Confessorem,
Virtus fecit & censorem,
Mirandæ Prudentiæ.
Ab hac Pater vocitatus,
Unus suæ declaratus.
Testis Conscientiæ.

℣. Suscipe me Domine secundum eloquium tuum.

℟. Et non confundas me ab expectatione mea.

Oratio ut supra.

AD NONAM.

DEus in adjutorium, &c.

Gloria

Gloria Patri, & Filio, &c.
Alleluja, vel Laus tibi Domine.
Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

SÆvus piger Imperator
Malorum clarus patrator,
Pollicetur pessima.
Ni quæ dixit Sacramento,
Tu propales in momento.
Uxoris peccamina.

℣. In te Domine speravi non confundar in æternum,
℟. In justitia libera me.

Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

DEus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

ARcanum custodivisti,
Ob quod lætus, subivisti,
Tormentorum genera.
Aquis tamen suffocatus;

Effectus quod sis Beatus.
Prodiderunt sidera,
℣. Intende animæ meæ & libera eam.
℟. Propter inimicos meos eripe me.

Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos DEUS salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
DEus in adjutorium &c.
Gloria Patri, &c.
Alleluja, vel Laus tibi Domine.
Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

TUmulatus nunc quiescis,
Et in dies illucescis,
Præclaris miraculis,
Es certus famæ Patronus,
Nos à malæ famæ pronus,
Defendas periculis.

℣. Do-

. Domine non confundar,
. Quoniam invocavi te.

Oratio ut supra.

COMMENDATIO.

SUſcipe quas dedimus Joannes Beate.
ibi preces ſupplices noſter Advocate.
ieri dum, vivimus, nè ſinas infames.
t noſtros poſt obitum cælis infer manes.

ORATIO.

SAncte Joannes Martyr ac Patrone Nepomuci in Bohe-ia oriunde, Templi S. Viti, in rce Pragenſi Canonice, eò uod ad inſtantiam Wenceslai V. Regis (ulciſci ſe de conju-e, ſæpe illum de vita corri-enda monente, volentis) ante &

te & poſt torturam; Confeſſionem Auguſtæ propalare recuſaſti in flumen Moldavam, ex ponte præcipitatus, à luminibus noctu, ſupra flumen, ubi corpus tuum jacuit, apparentibus, certiſſimis tuæ innocentiæ & Sanctitatis teſtibus, oſtenſus, ſolenniter ab univerſo Clero ac populo: ad Cathedrale Templum deportatus fuiſti, ubi uſque hodie, qui tuum Sepulchrum dehonorant, vulg infamiam effugere non ſolent. Tu ergo admirandum, inauditam, ac ſempiternam memoriam ſecreti Exomologeſeos, poſt te reliquiſti; per hæc tua merita & dona divinitus tibi conceſſa, precamur ſupplicitur ac fiducialiter, ut ira ejus conquieſcat, peccatorum pænas uti peſtem, bellum, famem aliasque tam corporis, quàm anima

plagas

agas clementer avertat & ut
os ante obitum confiteri, pro
eccatis satisfacere, omne peri-
ulum & sæculi dedecus, homi-
um scandalum effugere, DEO
lacere, adhærere, vitam lauda-
iliter concludere, & ad vitam
ternam pervenire possimus.
'er Christum Dominum no-
rum, Amen.

LITANIÆ
De
B. JOANNE
NEPOMUCENO.

Cujus memoria 16. *Maji colitur.*

KYrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos,
Christe exaudi nos;

Pater de cœlis DEUS, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere nobis.

Spiritus Sancte DEUS, Miserere.

Sancta Trinitas unus DEus, Miserere nobis.

Sancta Maria. Ora pro nobis.

Sancta DEI Genitrix,

Sancta Virgo Virginum,

Sancte JOANNES Nepomucene,

Mariani cultûs promotor amabilis,

Præcursoris Domini pedisseque,

Dilecti Discipuli Joannis imitator Virginee,

Nove Joannes silentiarie,

Nostri temporis magne Thaumaturge,

Arcanorum cælestium conscie.

Ora pro nobis.

A spi-

Spiritu Sancto scientiis desuper instructe,
ꝺoctrinæ pariter ac Sanctitatis laureâ insignite.
ꝑræfulgens lumen Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis.
ꝛegisRegum intime consiliarie
ꞇribunalis clementissimi assessor indefesse,
ſancte Dei mihi in Patronum è millibus electe,
Omnium actionum mearum splendor unice,
ſancte Joannes Nepomucene,

Ora pro nobis.

ꝑropitius esto, Parce nobis Domine.
ꝑropitius esto, Exaudi nos Dom.
Ab omni malo, Libera nos Domine,
Ab omni peccato, Libera nos Domine,
Ab omni scandalo, Libera nos

Ab omnis delicti ſuſpicione,
Ab ignominia mundi,
A confuſione æterna,
A damnatiône perpetua,
A ſacrilega Confeſſione,
A periculis corporis & animæ,
A procraſtinatione pænitentiæ,
Ab anguſtiis & perturbationibus conſcientiæ,
Ab omni mendacio & fallacia,
A falſis fratribus & ſubdolis amicis,
A mala & perverſa converſatione,
Ab arrogante præſidentia & præſumptione,
A dubia ſemper ſuſpicioſorum fide,
A falſa accuſatorum delatione
A ſecretorum communicatorum revelatione,
Ab officiorum periculoſorum adminiſtratione,

Libera nos Domine.

Per

Per ſummam ſanguinis tui vilipenſionem,
Per iniquiſſimam à Juda proditore traditionem,
Per ignominioſam pedum conculcationem,
Per maximam alapæ in domo Annæ acceptæ injuriam,
Per impactam tibi à Caipha blaſphemiam,
Per albæ veſtis apud Herodem indutæ ignominiam,
Per probroſam corporis tui in flagellatione denudationem,
Per totius vultus tui virginei erubeſcentiam,
Per Divinæ Perſonæ tuæ Regis titulo per ironiam ſignatæ illuſionem,
Per contumelioſas falſorum teſtium accuſationes,

Libera nos Domine.

Per

Per injurioſam cum latrone Barabba comparationem,

Per turpiſſimam ad crucis ſupplicium condemnationem,

Per infamem cum latronibus mortem,

Per toleratas in cruce Phariſæorum irriſiones,

Per tuam inter maxima hominum flagitia patientiam,

Per interceſſionem S. Joannis Nepomuceni,

Libera nos Domine.

In die Judicii, Te rogamus audi nos.

Peccatores,

Ut nobis parcas,

Ut nobis indulgeas,

Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,

Ut peccatorum noſtrorum facilem cognitionem & integram confeſſionem nobis largiri digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut

It in perplexis ac dubiis conscientiæ casibus nos resolvere digneris.

It peccatorum nostrorum indulgentiam absolutionem remissionem nobis impertiri digneris,

It inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris,

It cultum ac venerationem S. Joannis Nepomuceni propagare ac dilatare digneris,

Ut omnibus ejusdem clientibus facilem aurem præbeas,

Ut nos à pudore mundano & à confusione æterna eripias,

Te rogamus audi nos.

Fili DEI Te rogamus audi nos.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chriſte audi nos,

Chriſte exaudi nos,

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon, *Pater noſter &c.*

Et ne nos inducas in tentationem Sed libera nos à malo.

℣. Adhæſi teſtimoniis tuis Domine.

℟. Noli me confundere.

℣. Suſcipe me ſecundum eloquium & vivam.

℟. Et non confundas me ab expectatione mea.

℣. Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis,

Et non confundar in æternum.

℟. Fac me ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur. ℟. Quo

℣. Quoniam tu Domine adjuvisti me & consolatus es me.

℣. Domine exaudi &c. Et clamor &c.

OREMUS.

ADesto Domine precibus nostris, quas in memoriam Beati Joannis Confessoris fundimus, ut ejus intercessione, & meritis ab infamia & temporali defectu liberati, ante obitum confessi pænitentes ad æternæ beatitudinis portum venire mereamur, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia OBLATIO.

OMnipotens & Misericors DEus, concede propitius, ut qui in merita Divi Joannis Nepomuceni confidimus, ejus potenti intercessione ex omni infamia, & confusione publica, tam temporali, quam æterna, hujus

& alterius vitæ, & vel maximè ex imminenti, tali NN. periculo per piissimam tuam misericordiam eruamur. Per JEsum Christum Dominum nostrum, Amen.

Commendatio ad B. Ioannem Nepomucenum.

O Sancte Joannes Nepomucene Patrone mi, veneror te in gloria Cælesti aureâ corona immortalitatis amictum, & inter filios DEI computatum, simul etiam ad te confugio, orans supplex: ut me tibi à divina bonitate commissum hodie, & tota vita mea tuo patrocinio protegas: & à pudore mundano custodias, Am.

Alia OBLATIO.

DEUS Cordis mei, sine cujus nutu ne capillus quidem de capite nostro perit; te per gloriosa merita fidelis tui servi

oannis Nepomuceni (qui de
onte Pragensi in Moldavam de-
ci, & mergi maluit, quam sa-
rosanctum confessionis sigillum
egi revelare) suppliciter oro ut
hoc tibi noto honoris mei ma-
festo periculo mihi pro benigni-
te tua subvenire, meque ab om-
confusione ac infamia eruere
dignoris, nè gaudeant su-
per me inimici mei,
Amen.

EX-

EXERCITIUM DECIMUM NONUM.

Erga Omnes Sanctos.

LITANIÆ UNIVERSALES, De Omnibus SS.

In variis virtutum necessitatibus.

KYrie eleiſon,
Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon,
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos,
Pater de cælis DEus Creator mi, Miſerere mei.
Fili Redemptor mundi & mei DEus, Miſerere mei.

Spi-

Spiritus Sancte DEUS Sanctificator mei. Miserere mei.

Sanctissima Trinitas unus DEus, Miserere mei.

Sancta MARIA Mater DEI, & Virgo Immaculate concepta, Consolatrix & Advocata mea amabilissima, impetra mihi donum in gratiâ DEI perseverandi & moriendi, Ora pro me.

Sancte Michàél Archangele cum omnibus Sanctis Archangelis, Orate pro me.

Sancte Angele Custos sis protector & director meus, perfer preces indignas meas ad DEum meum, Ora pro me.

Omnes Sancti Angeli & Archangeli impetrate mihi reverentiam erga DEum, & vos, & ut post mortem vobiscum DEum laudem, Orate pro me.

Omnes

Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines, impetrate mihi remissionem peccatorum meorum, Orate pro me.

Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, impetrate mihi spem in DEUM,

Omnes Sancti Apostoli & Evangelistæ, impetrate mihi constantiam in fide.

Omnes Sancti Discipuli Domini, impetrate mihi fiduciam in DEO.

Omnes Sancti Innocentes, impetrate mihi patientiam.

Omnes Sancti Martyres impetrate mihi charitatem erga DEum & proximum.

Omnes Sancti Pontifices & Confessores, impetrate mihi humilitatem, & veram contritionem de omnibus peccatis meis.

Omnes

Omnes Sancti Doctores, impetrate mihi veram ſapientiam & aviditatem ad verbum DEI.

Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, impetrate mihi abdicationem rerum temporalium & externarum.

Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, impetrate mihi devotionem & attentionem in rebus Divinis.

Omnes Sancti Milites, impetrate mihi conſtantiam & fidelitatem erga Regem & Superiores meos.

Omnes Sanctæ Virgines Matronæ & Viduæ, impetrate mihi caſtitatem & perfectiſſimam puritatem.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI, Intercedite pro Eccleſia, & ſummo Pontifice, impetrate

mihi

mihi omnes virtutes ſpiritua-les & omnia animæ meæ ne-ceſſaria.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI mei nominis, meæ Patriæ, & Regni hujus, Intercedite pro Patria mea & regno hoc, pro-què me orate.

Omnes Sancti & Sanctæ condi-tionis meæ & omnes Sancti Patroni, & Patronæ totius vi-tæ meæ, impetrate mihi ut me ſemper ſubmittam voluntati & diſpoſitioni Divinæ.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI quibus Sacra eſt illa dies, quæ mihi naſcenti prima fuit, & quo die baptiſatus ſum. Impetrate mihi ut dies vitæ meæ ſint Deo placentes, utq; DEO meo gra-tias agam pro omnibus benefi-ciis mihi notis & ignotis.

Omnes

Omnes Sancti & Sanctæ DEI quibus Sacra eſt illa dies qua inſtitutum modernum vitæ amplexus, ex quo Catholicus factus ſum, impetrate mihi gratiam DEI, in actionibus meis veram & puram intentionem omnia pro gloria DEI faciendi, & ſequendi inſpirationes Spiritûs Sancti.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI hujus diei defendite me ab omni periculo animæ & corporis.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI quibus Sacra eſt illa dies qua bene confeſſus ſum, & qua die aliquid bonum egi, impetrate mihi ſanctas confeſſiones & vitam Sanctam.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI quibus ſacra eſt illa dies, qua

aliquan-

aliquando DEUM meum summum bonum, vos & Angelos Sanctos mortaliter peccaminosè offendi, impetrate mihi donum lachrymarum & remissionem peccatorum meorum.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI, quibus Sacra est dies illa quæ mihi morienti ultima erit dies, impetrate mihi beatam mortem, ornatam gratiâ DEI ac dono perseverantiæ in eadem. Supplicate ad Christum, ut in vulnera sua quibus me inscripsit, me recipiat.

DEUS propitius esto mihi peccatori, Parce mihi Domine.

DEUS propitius esto mihi peccatori, Exaudi me Domine.

Ab omni malo, Libera me Dom.

Ab omni peccato, Libera me:

A spi-

A ſpiritu fornicationis, Libera.
A peccato NN. Libera me D.
A ſubitanea & improviſa morte, Libera me Domine.
A mala morte, & pænis inferni. Libera me Domine.
Per Paſſionem tuam,
Per Crucem tuam, Libera me JE-
Per mortem tuam, (SU.
Agnus DEI, qui tollis peccata Mundi, Parce mihi Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata Mundi, Exaudi me Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata Mundi, Miſerere mei Domine.
Chriſte audi me,
Chriſte exaudi me,
Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.

)o(

ORA-

ORATIO.

DEUS bone à quo in quo & per quem sunt omnia, quæ mundus habet, ago Tibi humillime gratias pro omnibus mihi collatis beneficiis, quod me ad Imaginem tuam, & hominem Christianum creasti, ad Ecclesiam tuam veram pervenire fecisti, totque naturæ dona tam in prosperis, quam adversis præ aliis multis prudentioribus, devotioribus, & qui magis tibi gratias quam ego referrent, concessisti. Angelicâ custodia, Beatissimæque Immaculatæ Virginis, Sanctorumq; tuorum patrocinio munivisti, meque præ multis aliis amasti, specialiter vocando & specialiter mihi offerendo Regnum tuum. Peto itaq; mi DEUS, da mihi hanc gratiam ut nun;

unquam resistam, Spiritui Sancto, & imaginem tuam per peccata mortalia perdam: peto demillissime, ut oblivisci digneris omnium peccatorum meorum. Domine, mi fac me semper agnoscere omnia naturæ dona à te esse, & hisce, præ ceteris me non extollere. Concede mihi frangere affectus, & castigare corpus meum, veteres relinquere, malas consuetudines, nec aliter rebus creatis, membris, & Passionibus meis uti, nisi secundùm beneplacitum tuum, ut anima mea interna claritate bonorum luceat operum. Me non inter pictos vel hypocriticos sed inter veros esse Catholicos concede, qui tenerrimè amant Te, se voluntati tuæ totaliter committunt, tantùm

quantum, possibile est facere, volunt, secundùm mentem & mandata tua, nunquam securi, sed semper solliciti de Regno tuo, hi sunt quibus donas Regnum tuum, ideoque & ego peto à te, ostende mihi ulterius hanc liberalitatem. Ignosce DEus mi quod non semel honori Tuo contrarius fui, & quod sæpius spernebam acceptare, vel lucrari Regnum tuum, noli recordari peccata mea commissa, nec permitte me aliquid contra amorem tui patrare, Concede mihi, semper superbiam, & ingratitudinis vitium, omnemque scandalosam conversationem imprimis fæminarum fugere, à peccatis venialibus, & levibus taliter quasi à mortalibus, à verbis jocosis & mendaciis,

impri-

imprimis ab iis omnibus peccatis, quæ contra sextum præceptum sunt abstinere. Da mihi mei ipsius judicium rectum, frequens actuum virtuosorum, præcipue spei, amoris, fidei, contritionis, humilitatis, castitatis, & gratiarum, actionis exercitium. Da efficaces gratias ad hoc ut sæpe confitear, oculos à vanitate avertam, nec contemnam pauperes, sed ipsis succurram, & à te semper solatium expetam, meque totaliter voluntati Tuæ committam. Fac me omnium injuriarum oblivisci, de morte & aliis novissimis cogitate, semperque paratum esse ad horam mortis, ac felicissimum Ducis sui vexillum sequi, ut in judicio extremo ad dexteram ipsius locari possim. Hæc omnia & a-

lia animæ meæ utilia velis mihi dare, data confirmare, in corde plantáre, & ut propoſitorum illorum non obliviſcar. Fac ut Angelus Cuſtos me Officii mei admoneat, humillime & devotiſſime peto, ut nullum opus meum ſit absque fructu, ſed ut quodlibet propoſitum lucrum habeát ad majorem tui gloriam & animæ meæ ſalutem. Exaudi me propter paſſionem & mortem unigeniti & dilectiſſimi Filii tui Redemptoris mei, & totius generis humani,
Amen.

LITANIÆ
De
Omnibus Sanctis.

KYrie eleiſon,
Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon,
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEus. Miſerere.
Fili Redemptor mundi DEus. M.
Spiritus Sancte DEus, Miſerere.
S. Trinitas unus DEus, Miſerere.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Michàél,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphàél,
Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.

Omnes Sancti Beatorum Spiritu-
um Ordines, Orate pro.
Sancte Joannes Baptista, Ora pro.
Omnes Sancti Patriarchæ & Pro-
phetæ, Orate pro nobis.
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,

Ora pro nobis.

Omnes S. Apostoli & Evangeli-
stæ, Orate pro nobis.

Omnes Sancti Discipuli Domini,
Orate pro nobis.
Omnes Ss. Innocentes, Orate.
Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancte Adalberte.
Sancte Stanislae,
Sancte Venceslae,
Sancte Floriane,
Ora pro nobis.
Sancti Fabiane & Sebastiane,
Sancti Joannes & Paule,
Sancti Cosma & Damiane,
Sancti Gervasi & Protasi,
Orate pro.
Omnes Sancti Martyres,
Sancte Sylvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Sancte Casimire,
Ora pro nobis.
Omnes

Omnes Ss. Pontifices & Confessores, Orate pro nobis.
Omnes Ss. Doctores, Orate.
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Sancte Hyacinthe,
Sancte Pater Ignati,
Sancte Francisce Xaveri,
Sancte Francisce Borgia,
Beate Stanislae Kostka,
Beate Joannes Canti,

Ora pro nobis.

Omnes Ss. Sacerdotes & Levitæ, Orate pro nobis.
Omnes Ss. Monachi & Eremitæ, Orate pro nobis.

Sancta Anna,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,

Ora pro nobis.

Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Sancta Hedvigis,
Sancta Elisabeth,
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ
Orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ DEI,
Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Dom.
Propitius esto, Exaudi nos Dom.
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea & improvisa morte
Ab insidiis diaboli,
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure & tempestate,
A peste, fame, & bello,
A morte perpetua,
Per mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ,

Libera nos Domine.

Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum, & *Sanctum* Jejunium tuum,
Per Crucem, & Passionem tuam,
Per mortem & sepulturam tuã,
Per *S.* Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per Adventum *Spiritûs S.* Paracliti,
In die Judicii, Libera nos Domine.

Libera nos Domine.

Peccatores,
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam *Sanctam* regere, & conservare digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut

Ut Domnum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines, in sancta Religione conservare digneris,
Ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris,
Ut Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Christiano pacem, & unitatem largiri digneris,
Ut nos metipsos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris,
Ut mentes nostras, ad cælestia desideria erigas,
Ut omnibus Benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefa-

Te rogamus audi nos.

ctorum nostrorum ab æterna damnatione eripias,
Ut fructus terræ dare & conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili DEI,

Te rogamus audi nos.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. *Pater noster &c.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo.

PSAL-

Psalmus 69.

DEUS in adjutorium meum intende,

Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur & revereantur: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi Euge, Euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus, & pauper sum: DEus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Sal-

℣. Salvos fac ſervos tuos,

℟. DEus meus ſperantes in te.

℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis,

℟. A facie inimici.

℣. Nil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis,

℟. Nequè ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice noſtro N.

℟. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro Benefactoribus noſtris.

℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus

bus, propter nomen tuum vitam æternam,

℣. Oremus pro fidelibus defunctis,

℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace,

℟. Amen.

℣. Pro Fratribus nostris absentibus,

℟. Salvos fac servos tuos DEus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto,

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORA-

ORATIO.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clemẽter absolvat.

EXaudi quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi, parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pænis, quas pro his meremur, eripias.

DEUS, qui culpâ offenderis, pænitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitius respi-

reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur averte.

OMnipotens ſempiterne DEus, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. & dirige eum ſecundùm tuam clementiam, in viam ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat & totâ virtute perficiat.

QUæſumus omnipotens DEUS, ut famulus tuus N. Rex noſter, qui tua miſeratione ſuſcepit Regni gubernacula virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monſtra devitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratioſus valeat pervenire.

DEus, à quo ſancta deſideria recta conſilia, & juſta ſunt

Opera

opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem: ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.

URe igne Sancti Spiritûs renes nostros, & cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium DEus omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cun-

cta noſtra oratio , & operatio , à te ſemper incipiat , & per te cœpta finiatur.

OMnipotens ſempiterne DEus, qui vivorum dominatis, ſimul & mortuoum, omniumq; miſereris, quos tuos fide, & opere futuros eſſe prænoſcis : te ſupplices exoramus , ut pro quibus effūdere preces decrevimus, quosq; vel præſens ſæculū adhuc in carne retinet , vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit ; intercedentibus omnibus Sanctis tuis , pietatis tuæ clementiâ omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEus , per omnia ſæcula ſæculorum ,

Amen.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Exaudi nos Omnipotens, & misericors Dominus.
℟. Amen.
℣. Et Fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace.
℟. Amen.

ORATIONES Ad Varios Sanctos.

HYMNUS. *De S. STANISLAO Episcopo.*

SAlve Jubar Sarmatiæ
Polonæ apex gloriæ,
En mundus gemit exul
Stanislae magne Præsul.

Manum benignam porrige,
Genus Polonum erige,
Ne cadat robur ſubdito
Et vires novas addito.
Tege Patriam purpura,
Pellas hoſtium murmura,
Loricam præbe ſpiculis
Manum obtendens jaculis.
Per te floreſcat æquitas
Sceptra portentat veritas
Fides avita vigeat
Hæreſis ſchisma pereat.

Antiph. Vir Inclyte Stanislae vitâ inſignis, paſſione, plebem tuam Paſtor bone fove benedictione, guberna protectione, ſalva ſancta interceſſione.

℣. Ora pro nobis Sancte Stanislae,

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

ORA-

ORATIO.

DEus, pro cujus honore gloriosus Pontifex Stanislaus gladiis impiorum occubuit, præsta quæsumus, ut omnes, qui ejus implorant auxilium petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Christum Dominum nostrum Amen.

HYMNUS.

De Sancto CASIMIRO.

AVe stirps Regum, gemma nitens morum
Hortule Christi plene liliorum,
Flos & lux nostra, prodigiis mire,
Tuere Tuos Dive Casimire.
Pius æternæ cultor Deitatis
A luce prima teneræ ætatis
Tu magnæ Matri supplex omni die
Fac & me laudes cantare Mariæ,
Schismatis osor, fautor unitatis
Honorũ spretor, victor voluptatis

Pau-

Pauperum Pater Tutor Viduarum
Fac frui precum nos fructu tuarū

Antiph. Quasi flos rosarum in diebus vernis & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ.

℣. Justus germinabit sicut lilium,

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

OREMUS.

DEus, qui inter regales delicias, & mundi illecebras; Sanctum Casimirum Tuum virtute constantiæ roborasti, quæsumus, ut ejus intercessione, fideles tui, terrena despiciant & ad cælestia semper adspirent. Per Dominum nostrum, Amen.

ORA-

ORATIO.

Ad S. IOANNEM Baptistam.

ANTIPHONA.

HIc est Præcursor dilectus, & lucerna lucens ante Dominum, ipse est enim Joannes, qui viam Domino præparavit in eremo, sed & Agnum DEI demonstravit, & illustravit mentes hominum. De quo Salvator ait: nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista.

Elisabeth Zachariæ Magnum Virum genuit, Ioannem Baptistam Præcursorem Domini.

OREMUS.

SAncte Joannes Baptista, qui needum natus, & needum nato DEO Infante visitatus, ad MARIÆ vocem in gaudio exultasti, sanctificate in utero, nate sic-

ne

e peccato ullo? ora pro me, ut
vitam Sanctam renascar æter-
itati, Magne & Sancte Præcur-
r Christi, sis Ductor meus in
iam omnium virtutum, sis Du-
or ad viam æternitatis. Tu qui
enitentiam prædicabas, impetra
ihi ut omnia mea gesta dignos
enitentiæ fructus, quàm pri-
ium generent. Tu qui es vox
lamantis in deserto, alloquere
ficaciter animam meam, allo-
uere cor meum, corpus meum,
mnes sensus meos; ut semper,
in omnibus DEum quærant, ac
per omnia ament.

HYMNUS.

De Sancto DISMA.

O Disma Pœnitentium,
Fatisque Concedentium;
Cœlestis Advocate
Ter fauste ter beate.

In Golgotha qui passus es
Christo culpam fassus es
  Et veniam rogâsti
  Quam lætus impetrasti.
Ne quæso me tunc despice
Sed ore blando respice
  Dum lucta me gravabit
  Fatalis & necabit.
DEum procura Cælitus
Ut summus hic anhelitus,
  Tendentis ad bravia
  Sit JESUS & MARIA.

Antiphona. Dixit Latro ad JEsum: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Dixit illi JESUS: Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso. Luc. 13.

℣. Disma memor sis omnium,
℟. Cum morte conflictantium.

OREMUS.

Misericordissime JESU, qui pendens in ligno Crucis ineffabile misericordiæ tuæ infinitæ specimen in Conversione S. Dismæ Latronis ostendisti. Per Sanguinem tuum pretiosum pro me in Cruce effusum, obsecro te misericordissime JESU; concede mihi ingratissimo peccatori efficacem tuam gratiam, ut peccata mea deflere, te toto corde amare, & in horá mortis meæ à te audire merear: Hodie mecum eris in Paradiso; Amen.

Alia Oratio.

SAncte Disma, qui mirâ DEI Providentia ex nefario Latrone in eximium Pœnitentiæ speculum evasisti, & paucas intra horas æterna tibi gaudia comparâ-

ſti ! aſpice de ſublimi gloriæ tuæ throno, in hanc vallem miſeriæ: Recordare, ô Sancte mirabilis, mentis humanæ fragilitatis, ad malum ſemper quàm ad bonum, magis proclivis : recordare & pro nobis ad DEUM appella, ut ſicut per gratiam ſuam efficacem ad pœnitentiam, & paradiſi cæleſtis gloriam te perduxit, ita nos famulos, & famulas, eadem efficaci gratia ad dignos pœnitentiæ fructus impellat : ut peccata tecum abolentes piè tibi commoriamur perenniter exultemus una tandem in DEO ſalutari noſtro, Amen.

HYMNUS.

De S. IUDA Apoſtolo.

Apoſtole Lectiſſime,
Et Martyr Invictiſſime.
Juda, preces clientis

Ut consuevisti respice,
Devotæ celer suscipe
  Hanc pronitatem mentis,
Attende vim certaminis,
Virtutem pete Flaminis,
  Pro qua has preces promo:
Accedit finis flaminis.
Horror venit examinis,
  Non titubem in bono,
Semper me ad hoc animem,
Nè animam contaminem,
  Quæ meus est thesaurus,
Tu meus semper Doctor sis,
Nè mihi sit cum DEO lis,
  Sic mihi manet Laurus.

Antiph. Ecclesiastici 15. v. 12. Qui timet DEum, faciet bona, & qui continens est Justitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi quasi Mater honorificata.

℣. Sancte Juda Patrone fidelissime,

℟. Placato nobis DEum clementiæ.

ORATIO.

DEUS, cujus bonitas & clementia exhauriri non potest, aures benignas famulorum famularumque tuarum precibus, inclina, & præſta, ut omnes qui te in Apoſtolo tuo Juda Thadæo devote recolunt, meritis ejus, petitionis ſuæ effectum conſequantur, Amen.

℣. Benedicamus Domino,

℟. DEO gratias.

℣. Fidelium animæ &c.

HYMNUS.

Ad S. ROCHUM Confeſſorem.

AVe Roche Sanctiſſime,
Nobili natus ſanguine,
Crucis ſignatus ſchemate,
Siniſtro tuo latere.

Tu

Tu, qui profectus peregrè,
Pestifera tactos lue,
Plùs quàm arte Angelicâ
Ope sanasti cælicâ.
Numinis in præsentiâ,
Nostra nunc serva corpora,
Et Crucis per subsidia,
A peste mundum libera.

Antiph. O quàm magnificum est nomen tuum, Beate Roche, qui suis intercessionibus multitudinem languentium nostri salvare, & omnibus salutare tuum gloriosum commemorantibus, te propitium exhibere: Veni, & sana nos à morbo Epidemiæ, àërisque temperiem nobis concede.

℣. Ora pro nobis S. Roche,
℟. Ut mereamur præservari à peste Epidemiæ.

ORATIO.

DEUS, qui per B. Rochum singulare nobis contra pestem potentis tuæ dexteræ præsidium promisisti: præsta quæsumus, ut, qui ejus memoriam piâ devotione recolimus, ejus quoque intercedentibus meritis, ab omni tum animæ, tum corporis, mortifera lue præservemur. Per Christum Dominum nostrũ. Amen.

HYMNUS.

Ad S. PATRONUM MENSTRUUM.

DIve, quem cæli Dominus Patronum
Mense præsenti mihi destinavit.
Cælitus, clemens opis indigentem
Cerne clientem.
Me piæ JEsu precor, & benignæ
Virginis Matris, fidei tuendum,

Urbis

Urbis & Divis reliquis supernæ
Civibus offer.
Usque ad æternæ Patriæ Beatos,
Limites serva famulum, potiri
Lætus ut tandē valeam perennis
Lumine vitæ.
℣. Ora pro nobis S. N.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DEUS tuorum gloria Sanctorum, præsta quæsumus, ut intercessione Sancti tui N. Patroni mei liberer à cunctis malis animæ & corporis, ac eodem Duce, comiteq; securior ad vitam perveniam sempiternam, Amen.

ORATIO.

Ad Sanctum cujus Festum colitur.

VEneror & saluto te ô Beatissime N. per dulcissimum COR JESU Christi: & ex ani-

mo tibi congratulor illo honore quo hodiernâ die aſſumptionis tuæ à DEO, & tota Cæli Curia es affectus. In augmentum gaudii & gloriæ tuæ offero tibi id ipſum ſuperdigniſſimum Cor JEſu Chriſti, rogans, ut DEum pro me exorare, mihiq; in morte mea aſſiſtere digneris, Amen.

Ad S. Andream.

MAjeſtatem Tuam Domine ſuppliciter exoramus ut ſicut Beatus Andreas Apoſtolus Eccleſiæ Tuæ extitit prædicator, & Rector, ita pro nobis ſit perpetuus interceſſor. Per Dominum noſtrum, &c.

Ad S. Thomam.

DA nobis quæſumus Domine Beati Apoſtoli tui Thomæ Solennitatibus gloriari, ut ejus ſemper & patrociniis ſublevemur

&

&fidem congrua devotione lectemur. Per Christum Dominum nostrum.

Ad S. Ioannem Evangelistam.

ECclesiam Tuam quæsumus Domine benignus illustra, ut B. Joannis Apostoli tui & Evangelistæ illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Ad S. Stephanum.

DA nobis quæsumus Domine imitari quod colimus, ut discamus & inimicos diligere, quia ejus Natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare. Per Dominum nostrum qui tecum vivit, &c.

Ad S. Adalbertum.

TUam nobis indulgentiam, quæsumus Domine B. Adalbertus Episcopus & Martyr imploret, ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas.

Ad S. Onuphrium.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui Beatum Confessorem tuum Onuphrium virtute constantiæ roborasti, ut propter amorem tuum mundi gloriam contempserit & inediam ac nuditatem, in eremo elegerit. Da quæsumus ut ad participationem Regni tui, ipsius intercessione pervenire mereamur.

Ad S. Liborium.

DEUS, qui ex pientissima miseratione tua S. Liborium Episcopum singularem Patro-

tronum calculo laborantibus providisti, concede ut per ejus intercessionem ab eodem dolore liberati cælestis gloriæ candidati esse mereamur.

Ad S. Georgium.

DEUS, qui nos B. Georgii Martyris tui meritis & intercessione lætificas, concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur.

Ad S. Ioachimum.

DEus, qui præ Omnibus Sanctis tuis B. Joachimum Genitricis Filii tui Patrem esse voluisti: concede propitius, ut cujus festa veneramur ejus quoque perpetuo patrocinia sentiamus.

De Communi Martyris.

INfirmitatem nostram respice Omnipotens DEus, & quia pon-

pondus propriæ actionis gravat B. N. Martyris tui intercessio nos gloriosa protegat.

De Communi Confessoris Pontificis.

DA quæsumus Omnipotens DEus, ut Beati N. Pontificis & Confessoris tui, veneranda solennitas & devotionem nobis augeat & salutem.

De Communi Cõfessoris non Pontificis.

ADesto Domine supplicationibus nostris quas in Beati N. Confessoris Tui solennitate tibi deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus ejus qui tibi placuit meritis adjuvemur.

De Communi Doctoris.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis Beatum N. ministrum tribuisti, præsta quæsumus, ut quē Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in Cælis.

ORA-

ORATIONES VARIÆ, Ad Sanctas DEI.

HYMNUS.

De Sancta BARBARA V. M.

AVe Martyr gloriosa
Barbara mundum perosa
Paradisi vernans rosa
Castitatis lilium.
Tu spreto cultu Deorum
Nobis in exemplar morum,
Christo in munus decorum
Te das & obsequium.
Virgo Sponsa Christi chara,
Cum nos mors premet amara
Ex cælestis Templi Ara
Fer nobis Viaticum.

Antiph. O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illi.

illius; quoniam apud DEum nota eſt, & apud homines.

℣. Ora pro nobis ſine mora Sancta Virgo Barbara,

℟. Ut ſimus digni ex hac hora ſemper Chriſti gratiâ.

OREMUS.

Oſtende nobis Domine, quæſumus, tuæ pietatis miſericordiam, quam in Sancta Virgine & Martyre tua Barbara piè & miſericorditer oſtendiſti: ipſius precibus & meritis, à ſubitanea & improviſa morte liberemur, ut ante diem & horam exitus noſtri, tui ſacratiſſimi corporis & ſanguinis, ſacræque unctionis Sacramentis ſalubrius muniamur: eaq; intercedente ab omni hoſtium incurſu protegamur, & ad te, pia devotione & lætitia perducamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIO.

SUpplico tibi Sanctissima Virgo, & Martyr Christi Barbara, ut subvenias mihi famulo in omnibus necessitatibus & angustiis meis ad te enim oculos meos & cor meum dirige; te mihi in advocatam eligo: tuæ protectioni animam & corpus meum committo. Tu Clementissima Virgo esto mihi indigno famulo tuo in omni tribulatione solatiũ, in omni perturbatione refugium. Circumda me tuæ defensionis muro inexpugnabili contra omnes inimicos meos, visibiles, & invisibiles & contra omnia pericula corporis & animæ & esto mihi auxiliatrix specialissima apud misericordẽ DEum ut non secundũ merita mea sinat me puniri, sed per tuum interventum consequi mereat

rear tecum in cælestibus gaudere.

ORATIO.

O Sanctissima Virgo Barbara, quodcunque Sponsi tui viribus potes, mihi in mortis articulo, obsecro, ut suppedites. Adjuva me miserum ne in peccatis moriar, Effectum tunc habeat tuâ intercessione primitus à Christo tibi facta promissio, cum fidem ejus Sanguine consecrares. Redeat in memoriam Sponso tuo virgineus ex collo tuo exuberans sanguis, recordetur ardentissimæ tuæ charitatis, nec animam meam à corpore exire permittat, nisi confessione expiatam & SS. Eucharistiæ Sacramento refectam, Amen.

HTM.

HYMNUS.

Ad S. CATHARINAM V. M.

GAude Virgo Catharina,
Quam refecit lux Divina,
Ter quaternis noctibus.
Gaude quod tuâ doctrinâ,
Philosophos à ruina.
Traxisti & erroribus.
Gaude quia meruisti,
Confortari voce Christi,
Per preces divinitus.
Gaude quia convertisti,
Sponsam Regis, & vidisti
Rotas fractas cælitus,
Gaude sertis coronata,
Et in Syna venerata,
Olei stillamine.
Esto nobis advocata,
Apud DEum Virgo grata,
In nostro certamine.
Diffusa est gratia in labiis tuis,
Propterea benedixit te DEus in æternum.

RE-

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, ineffabilem miſericordiam tuam, ſuppliciter deprecamur, ut ſicut liquor de membris Beatæ Virginis & Martyris: tuæ Catharinæ jugiter manans, languidorum corpora ſanat: ſic ejus ſancta Oratio, à nobis iniquitates expellat: graves tentationes, & impugnationes Dæmonis compeſcat: omnia mala à nobis avertat, in bono confortet, certantes in agone confirmet, & feliciter ex corpore hoc mortali egreſſos, Tuæ Majeſtati in Regno Cælorum præſentet. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c. Amen.

Oratio ad S. CATHARINAM, pro profectu in literis.

O Sancta Catharina, Virgo & Mar-

Martyr Christi sponsa fidelissima, rogo te per illas gratias & favores speciales, quibus te prævenit dulcissimus Sponsus tuus JEsus, ut superatis Tyranni lenociniis, sapientiâ tuâ quinquagenos vinceres Philosophos, eosque cælesti imbutos doctrina, ad veræ fidei lucem perduceres; impetra mihi cum cælesti temporalem quoque sapientiam, ut devictis infernalis Tyranni fraudibus, mundiq; & carnis blanditiis, aptum Divinæ Gloriæ, Fideique Catholicæ propagandæ instrumentum evadam ac tandem tecum JEsum Ducem nostrum & laudem & benedicam in omnem æternitatem. Amen.

HYMNUS.
Ad S. ROSALIAM,
Virginem, contra peſtem.

AVe Roſa ſinè ſpina,
Contra peſtem medicina.
Roſalia Dux inclyta,
Recens à mundo cognita.
Exemplum ſecuta Chriſti,
Mundum relinquens ſpreviſti
Quidquid Pater offerebat,
Quidquid Aula promittebat.
Antrum, cælum habuiſti,
In quo Chriſtum conſpexiſti.
Apoſtolum comitatum,
Angelis, Matre, ſtipatum.
Ab hoc corona donata,
Ad nuptias invitata,
Terras libens reliquiſti.
Cælum felix introiſti.
Poſt tot ſæcla revelata,

In

In Patronam Orbi data:
Contra peſtem nobis fave,
Dum tibi ſonamus Ave.
Laus, honor, ſit Majeſtati,
Uni Trinæ Deitati.
Roſaliam exaltanti,
Peſtem per eam ſedanti, A.

ANTIPHONA.

Veni Sponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

OREMUS.

DEUS, qui corpus famulæ tuæ B. ROSALIÆ Virginis; per tot ſæcula intra montes inventum contra sævientem peſtilentiam ſacrum amuletum fidelibus tuis eſſe voluiſti, præſta ſupplicibus: ut qui ſacras ejus Reliquias colimus & commemoratione lætamur, ejus quoq; intervenientibus meritis, à præ-

à præſentibus periculis, & à malo peſtilentiæ liberemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

HYMNUS.

Ad S. APOLLONIAM,

Virginem Martyrem.

VIrgo DEI egregia,
Pro nobis Apollonia,
Funde preces ad Dominum
Ut tollat omne noxium
Ne pro reatu criminum,
Morbo vexemur dentium,
Sed ſanitate corporis,
Gratulemur, & capitis

℣. Specie tuâ, & pulchritudine tuâ.

℟. Intende proſpere procede, & & regna.

OREMUS.

DEus, pro cujus Sanctiſſimi Nominis honore, Beata A-

pollo-

Apollonia Virgo & Martyr glorioſa amaram & horribilem dentium excuſſionē ſuſtinuit; præſta quæſumus: ut qui ejus memoriam piâ devotione frequentant, à te tro dentium dolore immunes cuſtodias; & poſt hujus vitæ ærumnas, ad Beatæ Patriæ gaudia perducas. Per Christum Dominum noſtrum, &c.

Ad Sanctam Annam.

DEUS, qui Beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis Filii tui Mater effici mereretur, concede propitius, ut cujus ſolennia celebramus, ejus apud te Patrociniis adjuvemur.

Ad Sanctam Magdalenam.

BEatæ Magdalenæ quæſumus Domine ſuffragiis adjuvemur cujus precibus exoratus quatriduanum Lazarum ab inferis reſuſcitaſti.

Ad S. Othiliam.

COncede misericors DEUS ut qui Sanctæ Othiliæ Virgini à nativitate cæcæ, ac ob id jussu Patris occidendæ, visum sacro Baptismatis fonte mirabiliter tribuisti, per ejus intercessionem hic oculorum usu, in cælis visione tui beatifica perfrui mereamur.

De Communi V. M.

INdulgentiam nobis quæsumus Domine Beata N. Virgo, & Martyr imploret ut & delicta nobis ignoscas & beneficia desiderata concedas.

De Comm: V. non M.

EXaudi nos DEUS salutaris noster, ut sicut de B. N. Virginis tuæ festivitate gaudemus ita piæ ejus devotionis erudiamur affectu.

EXER-

EXERCITIUM VIGESIMUM.

Varia complectens.

DIes iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favilla:
Teste David cum Sybilla:
Quantus tremor est futurus,
Quando Judex est venturus,
Cuncta strictè discussurus!
Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors stupebit, & natura,
Cùm resurget creatura,
Judicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum ſedebit,
Quidquid latet, apparebit:
Nil inultum remanebit.
Quid ſum miſer tunc dicturus?
Quem Patronum rogaturus.
Cùm vix juſtus ſit ſecurus.
Rex tremendæ Majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva me fons pietatis.
Recordare JEsu pie,
Quod ſim cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me ſediſti laſſus:
Redemiſti Crucem paſſus:
Tantus labor non ſit caſſus.
Juſte Judex ultionis
Donum fac remiſſionis
Ante diem rationis
Ingemiſco, tanquam reus:
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce DEus.
Qui Mariam abſolviſti,

Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti,
Preces meæ non sunt dignæ:
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præsta?
Et ab hædis me sequestra.
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro supplex & acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.
Lachrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus:
Huic ergo parce DEus.
Pie JEsu Domine,
Dona eis requiem, Amen.

℣. Audivi vocem de cælo dicentem mihi.

℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Requiem æternam, &c.

ANTIPHONA.

Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

Pater noster secrete usq; ad

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi,

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace,

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum Spiritu tuo.

ORATIO.

DEUS, qui inter Apostoli-

cos

eos Sacerdotes Famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam: ut nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculu transierunt; Beata MARIA semper Virgine intercedente, cum omnibus SS. tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium DEus omnium Conditor, & Redemtor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Requiem æternam, &c.

ORATIONES,

In variis neceſſitatibus. In afflictione.

PRæſta quæſumus Omnipotens DEUS, ut qui in afflictione noſtra de tua pietate confidimus, contra adverſa omnia, tua ſemper protectione muniamur.

Pro concordia in Communitate ſervanda.

SPiritum nobis Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos uno pane cæleſti ſatias, tua facias pietate concordes.

Contra Perſecutores.

HOſtium noſtrum quæſumus Domine elide ſuperbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne.

In quacunque necessitate.

DEUS refugium nostrum & virtus adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus autor ipse pietatis; & præsta ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur.

Pro avertenda fame.

DA nobis quæsumus Domine piæ supplicationis effectum, & famem propitius averte, ut mortalium corda cognoscant & te indignante talia flagella prodire & te miserante cessare.

Pro impetranda pluvia.

DEUS in quo vivimus movemur & sumus, pluviã nobis tribue congruentem ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus.

Pro serenitate.

AD te nos Domine clamantes

exaudi, & aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericordia præveniente clementiam sentiamus.

Ad repellendas tempestates.

A Domo tua quæsumus Domine spirituales nequitiæ repellantur, & àërearum discedat malignitas tempestatum.

Pro lachrymis compunctionis.

OMnipotens & mitissime DEUS, qui sitienti populo fontem viventis aquæ de petra produxisti, educ de cordis nostri duritia lachrymas compunctionis, ut peccata nostra plangere valeamus, remissionemque illorum te miserante mereamur accipere.

Pro Pace.

DEUS à quo sancta desideria recta sunt consilia & justa

ſunt opera, da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione, tranquilla.

Contra Paganos.

OMnipotens ſempiterne Deus in cujus manu ſunt omnium poteſtates, & omnium jura Regnorum, proſpice in auxilium Chriſtianorum, ut gentes Paganorum quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentiâ conterantur, &c.

Pro Eccleſia.

ECcleſiæ tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte, ut deſtructis adverſitatibus & erroribus univerſis ſecurá tibi ſerviat libertate, &c.

Pro Papa.

DEUS omnium fidelium Pastor & Rector famulum tuum NN. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti propitius respice, Da ei quæsumus verbo, exemplo, quibus præest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

Pro Rege *ut supra in Litaniis de Omnibus SS.*

Pro Amicis.

DEUS, qui charitatis dona, per gratiam S. Spiritus tuorum fidelium cordibus infudisti, da famulis & famulabus tuis pro quibus tuam deprecamur clementiam salutem mentis & corporis, ut te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant.

Pro

Pro vivis & defunctis.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui vivorum dominaris simul & mortuorum omniumque misereris quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis. Te supplices exoramus, ut pro quibus effūdere preces decrevimus quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit. Intercedentibus omnibus Sanctis tuis pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum JEsum Christum.

PRO TEMPORE VESPERTINO.

Priusquã te conferas cubitum, examinabis conscientiam, procedendo per sex puncta comprehensa hoc versu:

LAUDA, MEMORA, LUGE, PROPONE, SATISFAC.

LAUDA DEUM, gratias agendo pro omnibus beneficiis, potissimum verò eo die acceptis, sic:

O Infinita bonitas, te laudo, glorifico, & gratias ago pro omnibus beneficiis tuis, quæ hodie mihi, & tota vita contulisti.

ORA DEUM gratiam, quâ cognoscas peccata & digne de iis doleas, sic:

O Immensa Majestas, Lux vera & indeficiens, illu-

mina oculos meos, ut cognoscam peccata mea, inflamma affectum, ut digne ea detester, quo purificatus mente tibi DEO meo digne merear famulari.

MEMORA, Exige à conscientia rationem de admissis præsenti die peccatis.

LUGE, Dole de commissis peccatis & veniam pete, v. g. sic:

INtime doleo Domine JESU DEus meus de peccatis meis quibus ego indignissimus tuam majestatem quam ex toto corde amo impudentissime offendi, jam detestor, fugereq; per tuam gratiam, & pro his satisfacere, quantum exigis, volo, emendationem & satisfactionem, quantum possum, promitto.

PRO

Propone Seriam emendationem in iis, quæ in te deprehendisti, sic v. g.

O Æterna Sapientia Christe JESU, propono cum tua gratia majori diligentia, vitæque emendatione, commissa neglecta compensare: atque oro, ut si hac nocte hinc me discedere velis, pro tua misericordia mecum agas: si vero cogites vitam meam diutius prorogare, gratiam largiaris, sobrie, juste, & piè vivendi in hoc sæculo, Amen.

Satisfac, Digna peccatis pœna te punias, v. g. terram aliquoties osculare, diutius flectendo ora, & ab examine conscientiæ sic facto, dic: Confiteor DEO Omnipotenti, *usque ad finem.* Misereatur nostri, &c. Indulgentiam, Absolutionem, &c. Amen.

Hy:

Hymnus D. Ambrosii.

TE lucis ante terminum,
Rerum Creator poscimus,
Ut pro tua clementia,
Sis præsul ad custodiam.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemq; nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præsta Pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum, A

℣. Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace. ℟. A.

℣. Custodi nos Domine ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

℣. Di-

℣. Dignare Domine die iſta,
℟. Sine peccato nos cuſtodire,
℣. Miſerere noſtri Domine.
℟. Miſerere noſtri.
℣. Fiat miſericordia tua, Domine ſuper nos,
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

VIſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici, ab ea longe repelle. Angeli SS. tui habitent in ea qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrũ. A

Ad Sanctum Angelum Cuſtodem.

OBſecro te Angelice Spiritus Cuſtos, ac tutor meus fidelis

lis, ut in via pacis, prosperitatis & salutis, te duce dirigar, atque ab omni spiritu malo, graviq; tentatione defendar. Peta etiam te favente præsidium mihi dari, ut secundum Domini voluntatem vitia fugiam, & virtutes Christianas exerceam, & omnium nostrum communi Domino in cœlesti Patria assistam, ac serviam.

Benedicat, & custodiat nos Omnipotens & misericors DEus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

Hic adde pro Defunctis. Pater noster &c. Ave Mária. Credo *& Psalmum :* De profundis clamavi.

Oratio, DEus veniæ &c. *vide pag.* 584.

Requiescant in páce. ℟. Amen

Asper-

Aſpergens deinde te aqua benedicta & habitationem, dic:

Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

vel: Hujus aquæ tactus propulſet dæmonis actus.

Facto Signo Sanctæ Crucis jens cubitum dic:

In Nomine Domini noſtri JESU Chriſti Crucifixi, quem ex corde amo: cubitum eo, ille me benedicat, regat, cuſtodiat, & ad vitam perducat æternam, Am.

In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum. Redemiſti me Domine DEus veritatis. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Pax Domini noſtri JESU Chriſti, & virtus Sanctiſſimæ Paſſionis ejus, Signum S. Crucis, & titulus triumphalis:

JEsus

Esus Nazarenus Rex Judæorum
ntegritas quoque B. V. Mariæ;
ustodia SS. Angelorum, præser-
im Tutelaris mei & suffragia o-
nnium Electorum DEI, sint in-
er nos, & inter inimicos meos,
isibiles, & invisibiles, nunc & in
ora mortis meæ, Amen.

ORATIO.

Vespertina S. Francisci Xaverii.

O Mi S. Michäël, Archan-
gele, defende me à Dæ-
none, in hora mortis meæ quan-
o de anteacta mea vita reddam
tionem Domino DEO meo:
ngele DEI qui custos es mei
c. Rogo te, Angele mi be-
edicte, cujus providentiæ sum
ommissus, ut semper mihi adsis
pe tua, perfer ad benignas DEI
ures preces meas, ut mihi det ve-
i contritionē de omnibus pecca-

tis meis & gratiam ad bene operandum perseveranter, repelle à me tentationes sathanæ nec patere ut in me locum habeat ulla mistula malitiæ, si quando me vides in itinere aberrare, reduc me ad Dominum meum per semitas justitiæ & afflicto impetra, præsens à DEO auxilium ne me unquam desere, sed juva, tege, defende pugnantem, ut ope tua protegar die ac nocte. Rogo etiam ô Angele mi Custos, ne me deseras in agone supremo, neque sinas me terreri à Dæmone vel in desperationem agi præcipitem sed juva ut perveniam ad felicem visionem DEI Domini Nostri, ubi illo fruar una tecum ac una cum Beatissima & felicissima Virgine MARIA, Matre DEI, & una cum Sanctis Omnibus.

Alia

Alia Oratio THOMÆ à KEMPIS.

CONcede mihi benignissime JEsu gratiam tuam, ut mecum sit, & mecum laboret, me cumq; in finem usq; perseveret. Da mihi hoc semper desiderare & velle quod tibi magis acceptum est, & charius placet. Tua voluntas, mea sit, & mea voluntas tuam semper sequatur & optime ei concordet. Sit mihi unum velle & nolle tecum: nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis & nolis.

Da mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt & propter te amare contemni & nesciri in hoc sæculo. Da mihi super omnia desiderata in te requiescere, & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies;

extra

extra te dura ſunt omnia & inquieta. In hac pace in idipſum, hoc eſt, in te uno ſummo æterno bono, dormiam & requieſcam, Amen.

Devotio ad S. Franciſcum Xaverium

ANTIPHONA.

Euge ſerve bone & fidelis quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituā, intra in gaudium Domini tui.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et oſtendit illi Regnum DEI.

DEUS qui Indiarum Gentes Beati Franciſci XAVERII prædicatione & miraculis Eccleſiæ tuæ aggregare voluiſti, concede propitius; ut cujus glorioſa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum

lum Filium tuum, qui tecum
ivit & regnat &c.

Oratiuncula quando quis parum temporis ad orandum habet.

DOmine DEus non possum multum orare propter
occupationes meas, sed locò o-
rationis offero tibi in unione
meritorum Filii tui desideria
mea, quæ habeo, vitandi peccata
mea & ea in omnibus subditis
meis impediendi, & gloriam ac
cultum tuum, quam maximè
propagandi, tantum da efficacem
gratiam, ut hæc exequar, & te
nunquam offendam, & plenus
meritis in gratia tua feliciter mo-
riar, Amen.

Hæc, saltem ter in die, Domi-
no Deo dici possunt, mane post
somnum excussum. 2do tempo-
re sacrificii missæ, maxime post

 eleva-

elevationem Sanctiſſimæ Eucha-riſtiæ & tertio ante cubitum.

Hæc Oratio compoſita à Venerabili Patre Nicolao Lancicio in Epiſto-la Vladislao IV. Regi Poloniæ, transmiſſa.

TESTAMENTUM

Hominis Chriſtiani, ante cubitum quotidie faciendum.

In Nomine Domini Amen.

EGo NN. DEO dono ani-nimam, corpus terræ, pu-tredini & vermibus.

Libentiſſimo animo exuo m bonis temporalibus, quæ vanita ſunt vanitatum.

Doleo ex toto corde & dete-ſtor peccata, ob purum & ſince-rum DEI amorem.

Condo-

Condono inimicis omnibus ex
orde & ex animo.

Credo in DEum, unum in ef-
ntia, & trinum in Perſonis, Pa-
em, Filium, & Spiritum Sanctum,
reatorem, Conſervatorem, Re-
emptorem, & Remuneratorem
potentia, bonitate, & ſapientia,
finitum. Adhæreo denique fir-
iſſimè omnibus quæ Eccleſia
redenda proponit.

Spero de DEI bonitate, pecca-
orum meorum remiſſionem, &
itam æternam.

Amo DEum ex toto corde
neo, ex tota anima, & ex omni-
bus viribus.

Committo me ſincerè omni-
modè & abſolutè beneplacito
ſanctiſſimæ & ſemper adorandæ
DEI Voluntatis: paratus ad a-
gendum & patiendum, ad bonam

& afflictam valetudinem, ad vitam & mortem, prout voluerit. Fiat Sanctissima ejus voluntas. Amen.

Commendo animam meam, & totum me patrocinio Beatissimæ Virginis Mariæ Matris meæ optimæ & advocatæ, Sancto Josepho, Sancto Angelo Tutelari, & omnibus Sanctis: quos oro suppliciter, ut me juvent in hora mortis.

Opto, illa ultima mea sint verba, quæ pronuntiare volo humillimo cordis affectu, JESUS MARIA, unicè desiderans in ejus ulnis emittere spiritum.

Quod si lingua hæc Sancta Nomina pronuntiare nequeat, corde facio ex animo.

Si animo non possim præpedito rationis usu, dico nunc, pro

tunc

ine omni affectu, omni conatu humilitate possibili: JESUS MARIA, Amen.

In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.

Morieris tu & non vives.

SUbter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parasti cujus erunt?

ITINERARIUM.

ANTIPHONA.

In viam pacis.

BEnedictus Dominus DEUS Isràël: quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum: qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus.

Salutẽ ex inimicis noſtris: & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum: daturum ſe nobis.

Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſerviamus illi.

In ſanctitate & juſtitia coram ipſo: omnibus diebus noſtris.

Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.

Illumiaare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Gloria Patri, &c.

ANTIPHONA.

IN viam pacis, & proſperitatis dirigat nos Omnipotens, & miſericors Dominus, & Angelus Raphàél comitetur nobiſcum in via, ut cum pace, ſalute, & gaudio revertamur ad propria.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℞. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac ſervos tuos,
℟. DEus meus ſperantes in te,
℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nil proficiat inimicus in nobis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie,
℟. Proſperum iter faciat nobis DEus ſalutarium noſtrorum.
℣. Vias tuas Domine demonſtra mihi,
℟. Et ſemitas tuas edoce me.
℣. Utinam dirigantur viæ meæ.
℟. Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.

℣. Erunt

℣. Erunt prava indirecta,
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.

ORATIO.

DEUS, qui Filios Iſraël per maris medium ſicco veſtigio ire feciſti, quiq́; tribus Magis iter ad te ſtellâ duce pandiſti: tribue quæſumus iter proſperum, tempusque tranquillum, ut Angelo tuo Sancto comite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ ſalutis portum pervenire feliciter valeamus.

DEUS, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum per omnes ſuæ

pere-

peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, ut nos famulos tuos custodire digneris. Esto nobis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculū, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce, quo tendimus prospère perveniamus. & demum incolumes ad propria redeamus.

ADesto quæsumus Domine supplicationibus nostris: & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates, tuo semper protegamur auxilio.

PRæsta quæsumus Omnipotens DEus ut familia tua per viam salutis incedat, & Beati Joannis

annis Præcursoris hortamenta sectando ad eundem, quem prædixit secura perveniet. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat DEUS in sæcula sæculorum,
Amen.

℣. *Procedamus in pace,*
℟. *In Nomine Domini, Amen.*

IN-

INDEX
Contentarum Devotionum.

A

B

C

D

Fiant

INDEX

F

H

Hy

Mo-

Ora-

INDEX

P

Pano.

Gabriel Archan-
S. Joannis, ma-
diceret genera-
Matris,
ſtem in
An-
qui-
an-
ore
de-
uit
eæ
li-
aſi
tas
u-
id
at,

Reparaty 1877. in Martio Cra